MENSIS SECVNDVS DIVINI AMORIS

ſiue

Menſis vnius Exercitationes

DE OPTIMO ELIGENDO

Ex motione Amoris Dei.

In vſum

Breuis meditationis,

& Examinis particularis.

Propoſitæ

A IOANNE NADASI

SOCIETATIS IESV.

ROMÆ, Typis Vareſij.

Anno MDCLXIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Ioannes Paulus Oliua,
Societatis Ieſu
Vicarius Generalis.

CVM *Menſem diuini Amoris ſecundum*, qui eſt *de optimo eligendo* à P. Ioanne Nadaſi noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptū, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra firmatas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ 1. Nouembris 1662.

Ioan. Paulus Oliua.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. S. P.

O. Ep. Patracēn. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Seraphinus Bertolinius Soc. Reuerendiſs. P. Mag. S. P. Apoſt. Ord. Præd.

Digitized by Google

MARIAE

VIRGINVM OPTIMÆ,
MATRVM MAXIMÆ
DEI MATRI.

A C

Dilecto eiuſdem Viſitantis cœtui Sodalium in Tyrnauienſi Soc. Ieſu Collegio.

CVM apud Philoſophum legerem *vigere corpus quidem à trigeſimo ætatis anno ad trigeſimum quintum, animam verò vſque ad vndequinquagin-*

ta ; a. alterum hunc Diuini Amoris menſem, qui eſt de optimo eligendo, vndequinquageſimo ætatis meæ anno à me operis ſucciſiuis, & velut intercalarià lucubratione aſtrictè attenuatèq; conſcriptum Tibi deſtinaui, Optima & Maxima Dei Mater! vt ſi exeunti iam vndequinquageſimo vitæ meæ anno adhuc ineſt vigoris aliquid, omne illud per Te ſacrum velim Filio Tuo, Tuiſque Sodalibus, & reliquis iſta lecturis; quorum oculis atque auribus, optimum, de quo ſcribo, aureà diuini amoris manu exhibeo; iuxta illud oraculum quo iubebantur olim Græci

ado-

adoleſcentum auribus nonniſi optima, & pretioſiſſima quæque appendere. Factum id adnitente aurea liberalitate Ioachimi Eccl. Metrop. Strigon. Cuſtodis; cuius proinde nomine plus quã meo, & primum illum quem eius Nomini nuper inſcripſi, & alterum hunc Diuini Amoris menſem Tibi dedico, ò Mater pulchræ dilectionis; vt illum, ac me, noſque omnes ad optima quæque maximà quà polles auxiliandi facultate erudias: omnes quippe beneuolentiſſimæ Tuæ beneficentiæ beneficiarij ſumus, vtinam ſemper grati! Tu Ioachimum illum Tuum,

&

& cum Illo nos reliquos in Parthenica Sodalitij Tui colligatione, ac ſociabili conſortione conſertè contextèque Tuis obſequijs illigatos ita prouehe, vt Te conſultrice ac adiutrice in medijs malorum contagionibus & allectatione perpetuà victores, inſtanter indeflexoque ſtudio, perfectè, ac abſolutè, ſanctàque aſſuetudine ad id quod optimum, ſeu Deo magis acceptum eſt, cōtendamus. Traianum Senatus decreto cognominatum eſſe *Optimum* accepimus. *b.* Tu æterno Dei decreto es optima Optimi Dei Mater. Memini Romæ *Optimam*

Ma-

Digitized by Google

Matrem militibus teſſeram olim datam. *c.* Tu nobis eſto teſſera vt nos vincamus ſub vexillo diuini amoris, ò *Mater optima*; & vt optimi eſſe condiſcamus. Ita nos docebis æternas voluptates beatè architectari; ne caliginoſus cordis noſtri oculus hallucinetur, dum aliud alio melius eſſe putat, & pulchrius. Ita facies, vt vitam quam naturæ debemus, hac arte diuino amori reddamus æſtuoſo ſemper deſiderio ad id quod eſt optimum anhelantes ſub vmbra alarum Tuarum, ò immortale exiguitatis noſtræ præſidium, virtutis altrix maxima

xima

Digitized by Google

xima, optima educatrix, Auguſtiſſima Sanctorum omnium Regina, *d. Dei ſacrificium, Collegium Sanctitatis.* Romæ in Domo Profeſſ. Filij Tui. 12. Ianuarij. 1663.

Minimus Tuus, ac Tuorum ſeruus

Ioannes Nadaſi Soc. Ieſu.

---

a. Ariſtoteles t.6. Artis Rhet. lib.2. c.14 mihi pag. 100. *b. Cælius Rhodigin. l.24.c.6. c. Alex. ab Alex. genial. l.4.c.2. d. S. Petrus Chryſologus ſerm.146. prope finem.*

PRO

PRO PRIMO DIE MENSIS.

Practicum Diuini Amoris exercitium eſt, aſſiduè aſſueſcere ad optimum, ſeu ad id agendum quod hic & nunc Deo magis placere exiſtimas.

1 INTER ea quæ optima ſunt, & maximè, ac certò placēt Deo, eſt Amor Dei. *Nam nihil tam placet Deo, ſicut quod homo diligat eum ſuper omnia*, verba ſunt Dei Matris

Digitized by Google

S. Brigittam erudientis. *a.* Atque de huius amoris praxi ſuperiore menſe, ſtrictim iam egimus: nũc oſtendamus, eiuſdem Amoris Deo ſuper omnia placentis inſtinctu ac motione arcanâ, nos permoueri ad ea quæ ſunt optima, id eſt Deo acceptiſſima, perquiſitè exequenda. *E*tenim Amor Dei, optimus rerum noſtrarum æſtimator, & eorũ quæ Deo ſummè placent inueſtigator, diſquirit vbique id quod eſt optimum atque pulcherrimum: vultque id à nobis

bis perfectè agi, vt id fiat ſemper quod magis placet pulcherrimo, optimo, eòque omni amore digniſſimo, Deo noſtro.

2 Cantabat olim Debora: Domine, *qui diligunt te*, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet ita rutilent. *b*. Illuſtriſſimę ſunt actiones Deum amantium: & ſicut Sol oriens abſcõditos à nocte colores rebus reddit, calorem addit, & ſimul ipſe creſcit; ſic Dei amor in nobis ſemper increſcens, ſuos colores pretiumque noſtris actionibus è virtute

Digitized by Google

profectis velut aſſignans, illas igne ſuo concalefactas reddit longè magis conſpicuas, atque ſanctas. Sanctificatio enim eſt, S. Baſilio autore, Deo ex toto continenter dedicatum adhærere, *ÿs ſolicitè exquirendis, & in ſtudio habendis quæ ipſi grata ſunt. c.* Vnde tali animę dici poteſt illud: *Decora facta es vehementer nimis; & profeciſti in regnum. d.* id quod fit potiſſimùm hac induſtriâ; vt rectione diuini amoris atque impulſu ductus, inueſtiges in ijs quæ agis quid

quid magis placeat Deo; idq; agas impenſiùs quod magis ei placere arbitraris. Coniungit hoc vtrumq; tanquam alterum alteri illigatum, Eccleſia dum pro nobis Deum ita precatur: Vt te totâ virtute *diligant*, & quæ tibi *placita ſunt, totà dilectione perficiant. e.* Quiſquis verè Deum amat, quantum amat tantùm connititur ea quæ amato Deo placita ſunt, non obiter, ſed totâ virtute diligendo totâ dilectione perficere. Vnde ad optimum tendit ſemper.

Digitized by Google

Hoc idem petens alibi Eccleſia, poſtulat nobis gratiæ ſplendorem à Deo: vt digna, inquit, ac *placita* maieſtati tuæ cogitare ſemper, & te *ſincerè diligere* valeamus. Ita alterum creſcit ab altero; nempe amor erga Deum, & inueſtigatio eorum quæ illi placent quàm maximè.

3 Quapropter, vt ad praxim, ſeu ad vſum, rem deducamus; quando aliquid agendum occurrit; eleuatâ in Deum mente, Amo, dices, amo te, optime Deus meus;

ideòq;

Digitized by Google

ideoque facio id quod magis placere tibi exiſtimo. Si duo ſint quæ deliberationem moueãt, vtrum eorum ſit eligendũ; elige illud quod Deo magis gratum fore arbitraris, licèt fortè tibi illud difficilius videatur. Tunc enim ſignum erit quòd verè Deum ames plus quàm te; & Deum quæras, non te. Ita difficultas illa à diuino amore mollietur; vt ferrum igne candens eſt mollius.

4 Amor eſt *optimum* cordis negotium, vt do-

cuit S. Mechitildem Chriſtus; *f.* Amor eſt *res omnium optima*, vt idem dixit S. Tereſiæ, ipsâ teſte: *g.* hoc ergò magiſtro vtendum eſt ad optimum agendum.

5 Hoc eſt optimum Deum optimè amare; idque amore optimo; & eius, non noſtri, causâ: *Amemus*, inquit S. Auguſtinus; *gratis amemus. Dominum enim amamus, quo nil melius inuenimus. h.* Illo *nihil* eſt *melius* quod ametur; & nihil eſt melius hoc amandi modo; nempe vt eius amore

Digitized by Google

re optima eligere aſſue-ſcamus: id quod ita agē-dum eſt vt ſic ſemper ani-mo ſis comparatus quòd id agere velis quo hîc & nūc *nihil* eſt *melius* quod à te agi velit Deus. Ita ſemper ad auream diuini amoris amuſſim ages om-nia: ita tibi diuinus amor erit inſtar Angeli illius cum S. Ioanne loquentis, *menſuram arundineam auream i.* habentis, & eâ pretioſam illam quam Deo è iaſpide ac auro mundo ędificas virtutum excellētiſſimarum vrbem menſurantis, *menſurâ ho-*

 minis

 Dei *minis quæ eſt Angeli*; k. ita vt hominis quidem ſit opus quod facis; & ſit actus humanus; at ob ſuam præſtantiam quâ ad *optimum* contendis, illud æmuletur quod in Angelis eſt *optimũ*: id eſt amor Dei quo nil eſt melius. Dæmon aliquando dicere iuſſus; *Deus charitas eſt*; vix tandem adigi ad id potuit; & ſe peculiarem charitatis hoſtem confeſſus eſt. *l*

a Reuel. l. 6. c. 50. init. & fine. b Iudic cap. 5. 31. c Reg. breu. mihi fol 398. d Ezech. 16. 14 e In Miſſali

Miſſali ad calcem. in orat. ad diuerſa. f Spir. grat. l. 3. cap. 30. Ad calcem ſuæ vitæ. impreſſ Ital. pag. 292. h Breu. Rom. lect. 6. die 3. dedic. templi. i Apocal. 21. 15. k Ibid. n 16. 17. l Vid. Annum dier. memor. 7. Dec. in P. Bariſono.

II. Die Menſis.

Timor Dei docet nos id quærere quod Deo magis placet.

1 S. Tereſia, a. vt aliàs dicam fuſiùs, vidit aureum oblongum iaculum cum ferrea cuſpide inflammata in manu Seraphini. Heri pretioſiſsi-

ſiſsimum diuini *amoris* iaculum dedimus ex optimo metallo, id eſt *auro*: nunc aliquid *ferreæ cuſpidis* addamus in *timore* Dei, ſed non ſinè flammâ diuini amoris: nam ſic nos optimum optimè eligere docebit amor, ac timor: ille aureus, hic ferreus; at vterque in manu Seraphini ardentis, & inflammantis.

2 Inter poſtrema Ioſue morituri monita erat: Nunc ergò *timete* Dominum; & ſeruite ei *corde perfecto atque veriſſimo*. *b*. Certè Beatus vir qui

Digitized by Google

ſic *timet* Dominum, vt ei ſeruiat corde perfecto, atque veriſſimo, mediocri quadam bonitate minimè contentus. Verè ille in mandatis eius *volet nimis. 6.* Non lãguido quodam modo volet; ſicut vult, & non vult piger; ſed valdè volet quicquid eſt *in mandatis eius* quem timet amando, amatque timendo: vnde agit omnia (vt loquitur S. Ioannes Chryſoſtomus) *cum ſtudio & animi alacritate. Qui enim eum metuit vt oportet, ſuſcipit eius præcepta cum magna auidi-*

ditate: & ideò amor in legislatorem, facilem, & gratam facit legem. e. Euſebius hanc vocat *ſolidam voluntatem, ut cum amore atque omni alacritate diligat.* Qui ergo amore timet, timore amat quo Deum timent & amant *omnes Sanctis eius*; timore reuerentiæ ac ſi- liorum; *volet nimis*; mediocribus non contentus: volet non minùs quàm poſſit, & plus volet poſſe quàm poſſit; volet magis quod magis Deum velle, ſeu Deo placere viderit, quadam ſupere-
roga-

rogatione voluntatis ad potiora ſemper, ſiue ad meliora, Deoque gratiora progreſſæ; idque ſinè alio pręmio, niſi quòd Deo ſic magis placet. Beatus verè ſic timens & amans, ac valdè volens. Experietur in æternitate illud: Quàm magna multitudo *dulcedinis* tuæ, Domine, quam abſcondiſti *timentibus* te. *ſ.* Magna fuit voluntas agendi id quod maius, quod melius, quod Deo magis gratum fuit, licèt id fuerit magis arduum; ideircò eſt magna multitudo dul-

dulcedinis amara hæc omnia in cælo abſorbentis.

3 Verè *qui* ſic *timet* g. *Deum*, *nihil negligit* quod ſit ad rem optimè perficiendam idoneum, & nihil circumſtantiarum, actionem illam Deo magis gratam reddentium negligit; nil omittit quod opus nobilitet.

4 Talis *timor Domini eſt initium dilectionis eius. h.* Sic enim actuosè cōdiſcimus amare Deum dum è duobus, eius amore id eligimus quod illi magis gratum fore cenſe-

ſemus. Hæc eſt illa ſapientia ſiliorum *Dei* clamans in cordibus noſtris: Ego mater pulchræ *dilectionis*, & *timoris*. i. Qui *timetis* Dominũ, *diligite* illũ; & illuminabũtur corda veſtra. k. Nempe vt ad amoris lumen è timoris lampade lucens videatis quid ſit gratum Deo, imò quid gratius. Nam *qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei: & qui diligunt eum replebuntur lege ipſius*. *l.* Replebuntur; id eſt, ita illos vndequaque occupabit plenitudo

tudo voluntatis faciendi id quod ſummè placet Deo ſummè bono, vt ſicut pleno vaſculo addi nil poteſt; ita illorum diligentiæ nil poſſit adiungi. Vnde *nihil melius quàm timor Domini. m.* Idcircò petit Eccleſia à Deo, ſanctiſſimi illius nominis *timorem* pariter & *amorem*: quia Deus nunquam ſuâ gubernatione destituit quos in ſoliditate ſuæ *dilectionis* inſtituit. *n.* Qui amat, qui timet quærit id quod maximè placet illi quem amat; idque perſeueran-

ter

ter ſoliditate mirabili, quæ aſſueſcendo comparatur.

5 P. Franciſcus Ribera vt Societatem Ieſu iniret permotus eſt audito P. Martino Guttierrez ad concionem dicente, conſecrandum eſſe Deo id quod in nobis eſt *optimum*, voluntatem. Id quod feliciter eſt aſſecutus, vti teſtata eſt (*vt* aliàs in eius vita percenſeo) S. Thereſia. Incipe à timore: acus hæc aureum amoris optima omnia eligentis filum inducet, ac te adducet ad Chriſti am-

Digitized by Google

amplexus, quem qui benè timet, breuì amabit: imò timore ipſo, veluti cote, acuet amorem Dei. Nam initium Sapientiæ timor Domini: nempe illius Sapientiæ quæ charitas eſt, quæ Deus eſt, quæ ſapit optimè: de qua eſt illud Spiritus ſancti elogium: *Melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis.* o.

---

a Vita ſuæ c. 29. *b Iudicum* 24. 14. *c Pſ.* 111.1. *d In pſal.* 111.1. *e In catena Græc. PP. f Pſal.* 30. 20. *g Eccleſ.* 7.19. *h Eccli.* 24.16. *i Eccli.* 24.24. *k C.* 2.10. *l Ibid. n.* 19. *m Eccli.* 23 37. *n Dom.* 2. *Poſt Pentec. o Prouerb.* 8.11.

III. Die Menſis.

Etiam in ipſa virtutum praxi id quod eſt optimum eſt quærendum.

1 ITA virtutum omnium exercitatio erit nobis verè *diſpoſitio perfecti ad optimum*, vt docet Ariſtoteles. *a.* Illud maximè quærendum eſt in qualibet virtute, quod in qualibet magis placet Deo. Hoc induſtriæ potiora vbique, ſeu Deo magis placitura, eli-

eligentis ſapore, odore, ſucco, ac vigore imbuenda ſunt examina particularia quibus in virtutis adeptionē incumbimus; & omnia opera, cuiuſdemumcunq; virtutis ſint: vt ex hac radice profecta referant in fructu quâ ſint origine nata; ſicut *b* Tiburtina illa, quam Plinius vidit, arbor varijs ramis inſitis iucunda, ramo alio dabat ceraſa, ficus alio, poma granata alio, alio poma domeſtica, alijs alios fructus: & ſinguli fructus de ſapore trunci, ac radicis gratum quid-

quiddam præbebant palato; vt ex illis radicis indoles appareret. Ita c ſi ſemen in aquam ſaccaro, alijſuè pretioſis liquoribus conditam immergatur, & periitè ſeminetur; producet pepones, alioſuè generis ſui fructus, eius aquæ quâ imbutum erat ſuauitate amabiles. Perſimile his eſt voluntatis diuino amore, atque meliora, id eſt Deo gratiora, vbique perquirendi ſtudio imbutæ ingenium. Quicquid virtutis exercent, virtus illa dulcedinem, ſaporem,

rem,

Digitized by Google

rem, ſeu indolem illius voluntatis referet odore ſuauiſſimo; reddetque virtutem illam hoc etiam nomine, nobiliorem, & magis gratam Deo. Etenim radix hæc eſt radix quædam immortalitatis, Deo immortaliter placituris operibus gratiam quandam afflans quam virtutes aliæ illi afflare non poſſunt. In praxi ergò, quicquid boni ſeminis, quicquid virtutis eſt, tota ea virtus priùs quàm eam exerceas, immergi debet in ſuauiſſimo illo liquore cordis

Dei

Digitized by Google

Dei, volendo illam actionem idcircò quia putas magis placere Deo vt hîc & nunc hoc potiùs quàm quiduis aliud à te fiat. id quod in omni virtute locum habet. Etenim nulla eſt quæ amari non poſſit ideò quia illã Deus amat, adeòque quæ ad excelſitatem illam eleuari non poſſit; vt nempe idcircò exerceatur quia in his circumſtantijs nihil vides quid Deo magis gratum poſſis agere quàm quod agis. Hoc etenim eſt agere ex virtute, optimum quærere.

Digitized by Google

Nam, teſte Ariſtotele, *virtus, habitus eſt optimus. d.* Hunc in modum ſingula virtutum conclauia, vnâ eademque diuini amoris claui aperientur; aureo emblemate, ac plus quàm phrygio opere pictis eiuſdem aulæis veſtientur; & fragrabunt thure cæleſtis amoris prunis, flammâque combuſto, in odorem ſuauitatis dilecto Deo.

2 B. Franciſcus de Sales ait *amorem* diuinum imperitare virtutibus omnibus, eaſque ad magnam perfectionem, &

& pretium euchere, quantumuis minutæ in ſeipſis appareant; facere denique, *vt amemus optima. c.*

3 Neque id eſt contra illud *medium* in quo conſiſtit moralis virtus. Nam quò maior eſt virtus eò magis eſt media inter exceſſum atque defectum. id quod explicans Ariſtoteles, quò *ſublimior*, *f.* inquit, virtus euadet, accedetque ad magnitudinem; non deteriorem, ſed meliorem efficiet. Et alibi: Quantum ad *optimum*

Digitized by Google

ſpectat, & quod benè ſe habet, *extremitas virtus eſt*. *g*. Summus virtutis apex, & medulla optima eſt amor Dei virtutes perducens ad optimum. Vnde qui obedit quia Deum amat, & idcircò vult Dei obedientiam amantis, & in homine aliquid præcipientis voluntatem exequi; *h*. facit eadem operâ actum obedientię & amoris Dei: ſicut qui furatur vt aliquem contra ius & fas occidi curet illâ pecuniâ, *i* non tantùm fur eſt, vt aliàs dixi, verùm etiam ho-

homicida; imò magis homicida quàm fur. Recepto enim in ſcholis prouerbio, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.*

4 Quare dum obedis quia Deum amas, obedientia illa eſt velut filia amoris Dei; & ille amoris actus obedientiam nobilitat, eiuſque nomen quaſi abſorbet: ſicut magnum flumen, riui minoris quem recipit & ſecum vehit, & aquam & nomen aufert, atque abſorbet, ita vt riuus ille non iam ſuo nomine ap-

pelletur, ſed maioris fluuij, cui permiſtus eſt. Sic amor magnum quoddam aureumque ac omni Pactolo pretioſius flumen eſt; virtutes reliquæ, riui ſunt qui in flumine illo præclarè nobilitantur. S. P. Ignatius omnia quæ à Deo ſiue in naturæ ſiue in alijs donis accepit, ſe illi reddere velle aiebat; ſed addebat: k. *Amorem* tui ſolum cum gratia tua mihi dones; & diues tum ſatis: nec aliud quicquam vltra poſco.

5 Virtutes morales perficiunt vires appetitiuas

Digitized by Google

uas vt obediant rationi, vti *l* docet S.Thomas; intellectuales, rationem; theologicæ autem mentem humanam Deo coniungunt. Vnde hæ alijs nobiliores ſunt; & harum *maior eſt charitas*. Hæc ergò ſit educatrix virtutum quas quærimus: alat illas lacte igneo. ita *virtus* noſtra, è mente Ariſtotelis, erit *facultas quædam quæ optimas res agat. m.*

a S.Th 1.2 q 110.a.2.c.2.2.q.23. a.7.c. b. B.Franc. de Sales p.2. de amore Dei lib.5.cap 5. c. Ibid c.6. d 1. Magnor. moral. cap. 5 e Vide regulas B Saleſii p.3.cap 1.§.14.

f. 1. Magnorum moral. c. 4. g. 2 Mor. Nicom. cap. 6. h Vide B. Sales de amore Dei lib. 5. cap. 14. i Vide menſis 1 diem 27. k In exercit contemplat. ad amorem ſpir. excit. l. 1. 2. q 68. a. 8. c. m Moralium Nicomach. cap. 3.

IV. Die Menſis.

Eximiè placet Deo, vt quid ei maximè placeat inueſtigemus; & id exequamur.

HOC menſe, *non vulgaris ars quædam,* vt S. Ioannis Chryſo-

ſoſtomi ore id dicam, *ſed omnium maxima nobis eſt ediſcenda; quo pacto Deo placendum ſit. a.* Ediſcemus verò eam, ſi, eiuſdem hortatu, conſideremus *bonorum magnitudinem; & ante omnia, quàm ſit bonum Deo eſſe gratum. b.*

2 Atque hoc ipſum, Deo perquàm gratum eſt, ſi videat nos in id inueſtigandum eſſe intentos, vt id agamus quod ei magis placet. Vnde talium preces exaudit faciliùs, teſte magno illo diuini amoris Apoſtolo:

Digitized by Google

Quicquid petierimus, accipiemus ab eo: *quoniam ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. c.* Facimus nos quæ illi placent: facit ille viciſſim quæ nobis.

3 Hoc eſt Deum toto corde, totâ virtute, fortitudineque diligere. Idcircò ſi quid occurrat menti quod magis acceptũ arbitremur Deo quã id quod agere inſtituimus; hoc intermiſſo, illud arripiet cor verè amans; illi inhiabit; nec dimittet, niſi perficiat. Atque in hoc delectatur

Deus

Digitized by Google

Deus amoris huius ac optimi deſiderij proauthor. de quo S. Petrus Chryſologus: Quicquid eſt cordis, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, ita *Dei amore*, voluit poſſideri, vt hominis mundanus non haberet quod violaret affectus. *d.* Si ergò rem Deo longè gratiſſimam facere vis (& quidni velis?) expende tecum identidem, quid iuxta tuum viuendi inſtitutum facere poſſis quod maximè placeat Deo. Decerne cum animo tuo te id

Digitized by Google

factum. Ita voluntas ab intellectu optimis hiſce de optimo vbiq; eligendo principijs imbuta, optimè operari cōdiſcet; ſiue optimum, optimi Dei amore eligere. *Quæri conſueuit*, ait Ariſtoteles, *vtrùm electio, an actio magis propria virtutis ſit. e.* At ipſa hæc optimi electio actio eſt; & eſt origo nobiliſſimarum actionum. & certum eſt ex eodem, quòd *in vtriſq; conſiſtat virtus. e.*

4 Electurus ergo aliquid, vel acturus, age ex illo axiomate quod intelle-

tellectu combibiſti: Amore Dei optimi vbique id quod eſt optimum eligendum eſt, & agendum. *Qui* ſic *ex intellectu operatur*, inquit ibidem Ariſtoteles, *hunc q; excolit, atque optimè afficit; is eſſe Deo chariſſimus videtur.*

4. Adde quòd ſic imitemur Deum in optimo eligendo. vnde ille *ſuum aliquid* in nobis videns, nos eò magis amabit quò per imitationem illi magis ſimiles eſſe conabimur. Dignum certè eſt vt hæc ſit noſtra cura,

præ-

Digitized by Google

pæcipua: cùm Deo tanta cura ſit de omnibus creaturis. E quo in rem noſtram deducit S. Thomas, *nobis quoque curam eſſe ſolicitè adhibendam, vt ſemper, & vbique quicquid Deo maximè placet exequamur. f.* Imitemur optima ſemper agentem Deum. Nam ille ita nos amat vt nobis bonum velit, imò optimum; id eſt, vt nos optimos eſſe percupiat, ſiue ſibi ſimillimos. Etiam Ariſtoteles *Ex humanis*, inquit, *operationibus ea erit feliciſſima*, ſeu maximè factiua

feli-

Digitized by Google

feliciratis, *quæ operationi diuinæ maximè eſt cognata*, ſeu ſimilis. *g.* Alibi docet, *eligibilius eſſe quod meliori & honorabiliori ineſt; vt Deo: & quod melioris proprium; vt Dei.* *h.* Iam verò c-nere Deo nos docẽs Spiritus ſanctus; *ſic dicetis*, inquit: *Opera Domini vniuerſa bona valdè.* *i.* Cùm ergò Deo inſit, & Dei ſit proprium optima agere; elige vbique optima eligere amore Dei: nam hoc eſt optimum. Etenim, Ariſtotelis ſententiâ, *quod propinquius*

bono

Digitized by Google

bono, melius, atque eligibilius: & quod ſimilius eſt bono: & quod meliori eſt ſimilius. k. Excole ergo hiſce axiomatibus intellectum; & *optimè* affice, iuxta laudatum locum philoſophi; eriſque *Deo chariſſimus*; quo nihil eſt melius, nihil felicius. *l.*

5 P. Bartholomæus Perez Societatis Ieſu vir eminentiſſimæ virtutis, familiari, & quotidiano ſui examinis particularis rationario, ſeu libello hæc verba Latinè inſcripſit: *Materia examinis particularis: prauenire ſin-*

Digitized by Google

ſingula opera oratione, & probatione diuinæ voluntatis bonæ, beneplacentis, & perfectæ; cum intentione puriſſima eam cognoſcendi, & exequendi. m. Sed de hac voluntate hîc aliàs: de particulari autem examine dixi menſe primo, die nono.

---

a *Hom.* 24. *ad pop.* b. *In Pſ. in fine.* c. *Ioan.* 3 22 d. *Serm.* 147. e. 10. *Moral. Nicomach cap* 8 f. *Opuſc.* 62 *cap.* 17. g. 10 *Moral. Nicom. cap* 8. h. 3 *Topic. c.* 1. i. *Eccli.* 39. 21. k. 3 *Topic. c* 2. l. 10 *Moral. Nicom. c.* 8. m *Obijt Villagarsiæ* 24*e Nou.* 1621.

V. Die Menſis.

In operibus noſtris, tanquam in ſacrificÿs, quærendum quod maximè placet Deo.

1 S. Auguſtinus; *Verum*, ait, *ſacrificium eſt omne opus* quod agitur, vt ſanctâ Societate inhæreamus Deo; relatum ſcilicet ad illum finem boni quo veraciter beati eſſe poſſimus. Anima ipſa cùm ſe refert ad Deum, vt *igne amoris*

eius

eius accenſa formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tanquam incõmutabili formæ ſubdita reformetur, hinc *ei placens* quod ex eius pulchritudine acceperit, fit ſacrificium. Hæc Auguſtinus. *a.*

2 Quoduis opus noſtrum debet eſſe ſignum interioris ſacrificij, quo noſmetipſos Deo offerimus, tanquam primo & ſupremo Domino, cui debemus cultum ſupremum & omnia; quem æſtimamus, & amamus ſuper omnia, idque factis loquen-

Digitized by Google

quentibus, quibus reueremur Deum modo ſupremo, eiq; gratiſſimo. *b.* Vnde S. Thomas ait *omne opus virtutis eſſe ſacrificium, in quantum ordinatur ad Dei reuerentiam. c.*

3 Atque ex hac radice proficiſcitur quòd erga Deum optimè nos habeamus; eumque ſupremo quodã modo honoremus, amemus: vnde operationes noſtræ fiunt optimæ. id quod dilucidè complexus eſt Ariſtoteles hiſce verbis rei noſtræ perquàm idoneis:

In vnoquoque optima eius eſt operatio quod optimè affectum eſt erga præſtantiſſimum. d.

4 Dum optimis vbiq; intentus quæris quæ Deo acceptiſſima ſunt; optimè affectus es *erga* optimum & *præſtantiſſimum*, id eſt, erga Deum: quocirca optima eſt tua operatio. Dei enim, ait Auguſtinus, templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus. Cùm ad illum ſurſum eſt, eius eſt altare cor noſtrum. S c ille. *e.* In hoc altari dedicantur, immolantur; ſa-

ſacrificantur omnia quæ agimus, dum ea igne amoris optimo inflammamus; vt aſcendant in odorem ſuauitatis Deo: cui ſuauiſſimum, vt docet idem, adolemus incenſum, cùm in eius conſpectu, pio ſanctoque *amore flagramus*; ei dona eius in nobis, noſque ipſos vouemus & reddimus. Sacrificium ſacrificiorum eſt amor Dei. Amare enim Deum *maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificijs*(*f.*) Sacrificium & holocauſtum: quod tũc verè offerimus Deo quã-
do,

Digitized by Google

do, è vi maximi amoris erga Deum, id agimus quod maximè placet Deo ſiue quod optimum eſt: ſicut qui peccat odio Dei facit id quod peſſimum eſt.

5 Hoc amoris ſacrificio expiabis peccata: quæ ipſa te hortantur vt enitaris contritione ſummâ ad iniuriam illam ſummo & optimo modo quo potes compenſandã. id fiet, optima ſemper eligendo amore Dei, cui doles te feciſſe iniuriam; & cui deſideras opera tua deinceps magis placere

quàm

Digitized by Google

quàm ei vlla anteactæ tuæ vitæ actio diſplicuerit. Et ſi numquam eum grauiùs offendiſti, hoc ipſo incitamento exardeſce, ad immolandam ei hoſtiam laudis; vt ſacrificium laudis honorificet illum; reddaſque illi gratias optima ſemper eiq; gratiſſima eligendo, eò quòd te à mortali peccato, id eſt à ſummo malo malorum omnium, conſeruârit.

---

a Lib. 10. Ciuit. c. 6. b. Vid S Th. 3 p. q. 82. a. 4. c. c. 2. 2. q. 81. a 4. c.

d. 1 *Moral. Nicomachiorum cap.4.*
e. 10. *Ciuit.c.4.* *f. Marci* 12,31.

VI. Die Menſis.

Hac praxi ac ſtudio, id vbiq; agendi quod maximè gratum eſt Deo ſit vt eorum quæ agimus pretium ſit eximium, & inſigne.

1 NEſcio an aliquid ſit quod magis incitamento ſit mentibus generoſis, quàm vt ſummam in ijs quæ agunt excelſitatem attingant. S.

P. Ignatius ait nos obligatione communi teneri, ac debere *Dei creatoris noſtri gloriam quantam-maximam, honoremque diligere*: neque debere nos vulgari *labore, & famulatu* eſſe contentos. Fouete, ait, ſemper in ſinu cordis veſtri *viuidum* quendam, ſanctumque feruorem ad quoſuis pro virtute exantlandos labores: quia rarum aliquod & eximium facinus ſexcentis vulgaribus minutiſque antecellit. ad quem enim virtutis gradum multis annis

piger

Digitized by Google

piger non poteſt adrepere, exiguâ temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. Ità ille *quantam maximam* Dei gloriam nobis vbique quærendam inſtanter cōmendans: id quod tunc facimus quando in id agendum toto pectore incumbimus quod optimo Deo arbitramur quammaximè gratum eſſe.

2 S. Auguſtinus ad Comitem quendam ſcribens, & quærens *quæ perfectiſſima ſit iuſtitia*; eum exhortatur ad *ſummi boni* amorem. & addit: *O mi*

Digitized by Google

frater chariſſime, ex tota mente dilige Deum; ut in omnibus actibus tuis placeas illi. b. Actiones ergo accommodandæ ſunt amori Dei; vt Deo placeant.

3 Atq; hac demum viâ enitemur ad optimum virtutis, quæ non in deſidiæ inertijs, ſed in actione conſiſtit. Ariſtotelis ſententiâ, ea ſunt *pretioſa* & iucunda quæ probo viro eiuſmodi ſunt, atque ea *maximè expetenda operatio eſt unicuique quæ ex virtute fit. c.* Si ergo noſtra operatio fiat

fiat non ex morali tantùm virtute, verùm è Theologicâ, imò è Theologicarum optima & maxima charitate; illa operatio erit præſtantiſſima; eòque vnicuiq; citra dubitationem eſt quantomaximo ſtudio expetenda. Adeòque, ſi, vt ibidem notat Ariſtoteles, *felicitas conſiſtit in operationibus quæ ex virtute proficiſcũtur*; feliciſſimum eſſe oportet illum qui è *virtutis optimæ* motione ſiue inſtinctu ac diſciplina profectas operationes exercet. Denique, ſi, vt

ait idem, felicitas eſt ex virtute operatio; conſentaneum eſt *eam ex illa virtute eſſe quæ præſtantiſſima eſt: hæc autem erit eius quod eſt optimum*. Ita ille. *d.*

4 Optimum illud opus vnum, eſt inſtar plurimorum: & maioris eſt pretij apud Deum quàm humilia quædam tepidorum opera totius hebdomadæ, aut etiam menſis. Melior eſt dies vnus ita operātium ſuper millia reliquorum. Melior eſt vnus timens Deum quàm mille filij impij; *e.* imò etiam

Digitized by Google

etiam quàm tepidi ac deſides .

5 Felix domus in qua Deum inſignitè amantes habitant, qui eo amore ad optima excitantur . Ait Plutarchus in conſultatione ſapientum Græciæ quæſitum fuiſſe *Quæ Domus eſſet optima*: Cleobuli ſententiam fuiſſe : *In qua ſunt plures qui diligunt.* f. Sic enim amore potiùs quàm timore fieri omnia ad nutum eius qui præeſt. Certè id de Deo, ac Domo Dei eſt lõgè veriſſimum . De hoc præclarè Seneca

ſummum bonum, id eſt optimum nobis commoſtrans: Proponamus, inquit, oportet finem *ſummi boni ad quem nitamur, ad quē omne factum noſtrum, dictumque reſpiciat. g.* Liceat hîc & ex Ariſtotele iterùm aliquid in rem noſtram afferre. *Eligendum*, ait ille, *id quod maximè inſigne. h* Vnde tacitus ipſe tibi dices: Optimum quod poſſum facere hîc & nunc eſt iſtud quod facio: neque mihi venit in mentem quicquam Deo eſſe magis gratum quod hîc

&

Digitized by Google

& nunc prudenrer fieri à me poſſit.

---

a Ep.2. de perf. num. 1.2 3. b. 1.4. lib. de ſalutar. docum. c. 1. & c. 23. c. 10 Moral Nicomachiorum c.6. d. Cap.7. init. e. Eccli. 16.3 f. Opuſc. 1. 1. in Conuiuio 7. Sap. pag. 298. g. Ep. 95. mihi p.304. h. 3. Topic. cap. 2.

VII. Die Menſis.

Dignus eſt Deus vt eius amore aſſueſcas id ſemper eligere quod illi magis gratum fore confidis.

1 DE eligendo Rege ſcribens ad Samariæ optimates Iehu, *eligite*, inquit, *meliorem*, *a.* Deus Rex cordium, & omnium, cuius amore ac ſub cuius oculis agimus, eſt optimus & maximus. Eapropter dignus eſt vt nihil agendum ſuſcipiamus, niſi quod optimum eſt, & quod maximè illi placet: nam nihil melius deſiderari à nobis poteſt, quàm quod magis placet Deo; Deo, *in quo*, vt ait S. Gregorius

Digitized by Google

rius Nazianzenus, *deſiderium omne conſiſtit ac deſigitur, nec ſupra eum vſquam fertur. Nec enim quicquam ſublimius habet, aut omninò habebit mens vlla, quamuis philoſophica, altiſſimè tendens, ac ſummè curioſa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum extremum eſt; quò cùm peruenerimus conquieſcit omnis ſpeculatio.* 6. Nihil Deo maius, nobilius, dignius deſiderari, vel cogitari poteſt. Vnde ſummo ſtudio deſiderandum

id quod illo maximè dignum, quod illi maximè acceptum eſt.

2 *Optimus eſſe contende*, ait idē S. Gregorius Nazianzenus. *Age, ad cæleſtem vitam vela pande. Omnia egregia opera, vt Deo dignum eſt, exequere.* Hinc frequentiſſimum erat in ore calamoque S. P. Ignatij fundatoris, *maius* Dei *obſequium* eſſe ſpectandum quicquid deliberationis occurrat. Inde nata eſt glorioſa illa eiuſdem teſſera: *Ad maiorem Dei gloriam.* Ad glo-

riam

riam Dei aguntur etiam ea quæ mediocri modo fiunt, bona; ſed illa quæ ſunt meliora, magis placent Deo, & ſunt *ad maiorem Dei gloriam*.

3 Quinquaginta nummorum aureorum à Tiberio Orientis Imperatore, Sigiberto Francorum Regi miſſorum epigraphe fuit: *Romanorum gloria*. Singuli verò aurei erant vnius libræ: dignũ Rege donum. *d.* Horum inſtar aureorum, id eſt è præſtantiſſimo metallo, ſunt ſingula opera noſtra facta

Digitized by Google

facta ad maiorem Dei gloriam ; ſeu quorum, pondus magnum eſt, inſcriptio verò, maior Dei *gloria* modo quodam, non vulgari ſed excellentiſſimo quæſita ; ſunt nobilia, eximia, Deo digna, quà quidem tenuitati noſtræ licet. Dignus eſt illis Deus : dignum eſt, vt ſic eius gratiâ operemur. Vnum tale opus, vt aliàs dixi, plus auget oeconomiam noſtram ſpiritualem, quàm alia minora, quamplurima : eſt enim, inſtar Malabaricæ illius ar-

arboris quæ quotannis vnicum fert pomum, ſed tale quod habeat trecenta poma noſtris æqualia. *e.* Sed de hoc heri plura.

4 Nunc, Spiritus ſancti hortatu, in omnibus quæ agis age id quod eſt optimum. *Fili, Deo dignas oblationes offer. f.* Ita *pacens* Deo *fies*, & *dilectus*, & *in breui* tempore, meritis explebis tempora multa: *g.* ita *placita* erit *Deo anima* tua; quidpe cuius omnis occupatio eſt cum aquilis

in

Digitized by Google

in Solem, id eſt in optimum, & pulcherrimum, non verò in aſtra, vel in viles noctìlucas, aut nitedulas, cicindelaſuè defigere oculos atque mentem ad excelſa & Deo digna intentè ſurrectam. *Maius bonum magis eligendum*, aiebat philoſophus. *h*.

5 Quis dubitauerit, inquit Auguſtinus, nihil nobis aliud eſſe *optimum* ad quod adipiſcendum, poſthabitis cæteris, feſtinare oporteat, quàm Deum? Quid eſſe non ſolùm

Digitized by Google

ſolùm melius, ſed & certius hoc bono poteſt? Ita ille. *i.* Robertus Gaguinus de geſtis Regum Franciæ in Childerico, ait illi à Baſyna dictum: Virtutem tuam ſum experta. *Quòd ſi meliorem te quempiam vſquam terrarum mihi perſuaſum haberem, illum terrà marique indefeſſa proſequerer.* k. Hoc dicat anima *optimo quærendo* intenta: & quia nihil Deo inuenit melius, nihil auguſtius, imò nihil par; in Deo cõquieſcat actuoſâ quiete amoris optima optimi

Dei

Digitized by Google

Dei amore optantis, & facientis. Ita S. P. Ignatius Fundator ait Societatem quædam ſtatuiſſe, *cùm optaret quod factu optimum eſſet eligere*. k.

---

a. 4. *Regum* 10. *b. Orat. de S Athanaſ. initio c. Ad calcem operum pag.*836. *d. Sabellicus Enneadis* 8. *lib* 5 *mihi col.* 515. *e. Vid. Cauſini parabol. l.*10.*cap.*63 *f. Eccli* 14. 11.*g. Sap* 4 *v* 10. 13. *h* 3. *Topic cap.*3 *i. T* 1.*l.*1 *de moribus Eccleſiæ Cath c* 11. k. *Editus Pariſiis* 1528. k. *Conſtit. p.*2 *c.*1.*§.*1.*n.*1. *in fine*.

VIII.

VIII. Die Menſis.

Hac induſtria de optimo eligendo eſt via optima ad artes aſceticas in praxi optimè combibendas.

1 QVI vnà iter faciunt, vel adornant, deliberant inter ſe de via non quacunque ſed illâ quæ optima eſt, atque certiſſima; qualibet, licèt bonâ, non ſunt contenti. Eadem eſto noſtra conſultatio. quippe omnes ad pa-

triam

Digitized by Google

triam tendimus, laboramuſque in itineribus æternitatis. *Iudicium eligamus nobis; & inter nos videamus quid ſit melius. a.*

2 Hoc eſt negotium omnium & maximum, & optimum, atque pulcherrimum; vt vulgarem ac flexuoſam viam ſupergreſſi, ad ea quæ Deo non mediocriter grata ſunt contendamus. Alphonſus Rodriguez, celebris ac ſuauiſſimus aſceticæ viæ magiſter, ait ad perfectionem aſpiranti, animum eſſe appli-

can-

Digitized by Google

candum rebus altis atq; egregijs: *b.* Supra ſcopum dirigendam eſſe ſagittam, vt ſcopum ipſum tangas: eos qui mediocria volunt animo, ad infima deuolui.

3 Eapropter ij qui æmulantur chariſmata, hæc meliora, vbi quidpiam agendum, aut eligendum ſe offert, eò ferũtur ab excelsâ illâ mẽtis indole, vt ad lumen Dei conſiderent, quid eo tempore ſuſcipere poſſint negotij quod Deo ſit eo tempore magis gratum, quàm ſi tunc quidlibet aliud

aliud agerent: adeò vt verbis quoque aut ore prolatis, vel certè tacitâ cogitatione conceptis teſtentur coram præſente, ſpectante, ac iuuante illos Deo; ſe illud potiùs agere quàm quiduis aliud, eò quòd hoc potiùs quàm quiduis aliud à nobis ſuſcipi ac geri Deo gratius eſſe ſibi perſuadeant.

4 Semper illis in aure cordis perſonat glorioſum illud Spiritus ſancti acroama: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto. ne dederis maculam*

in

Digitized by Google

in gloria tua. c. Hic eſt omnis neruus pulcherrimorum axiomatum aſceticorum. Hoc ſi à te impetraueris, vt ſemper id facere connitaris quod optimum, ſiue Deo gratiſſimum fore exiſtimas, omnia impetraſti. Hoc eſt quod inſtanter viget magnus Xauerius ita ſcribens: *Perfectè exequere quæ Deo placere noueris. d.*

5 Sic agere eſt pingere æternitati; eſt exequi illud B. Aloyſij conſilium, ſcribentis, atque pro inſigni vitæ ſpiritualis

lis pronunciato ſeu axiomate habendũ monẽtis, *eò te religioſorem magiſq; pium futurum, quò tuam vitam diligentiùs, ſecundùm rationes æternas, minùs verò ſecundùm temporales gubernaris. c.* Circumſpice animo altiſſima illa, & quæ plurimum ſoliditatis habent aſceticæ philoſophicæ præcepta: & videbis in hac vnâ optima eligendi praxi præſentiſſimum præſidium, atq; compendium reperiri: quemadmodum explicatè patebit cùm particulatim ad ea tractan-

ctanda deſcéderimus quę Deo inſignitè placere è diuinis literis, ac Patrum placitis, exemplisque didicimus. *Labia iuſti conſiderant placita. f.*

a. Iob.34.4. b. P.1. tract.1. c.8. c. Eccli. 33. 23. d. Lib.5.epiſt 14. e. Ceparius vita B.Aloyſ.l.2 cap.16. f. Prouerb.20.32.

IX. Die Menſis.

Optima vbique ſectari eſt viuere vitam prædeſtinatorum.

1 HAEC ſunt ſancta veſtigia filiorum Dei ad æternitatem per

D vias

vias rectas de virtute in virtutẽ euntiũ. *Vt filÿ lucis ambulate, probantes quid ſit beneplacitum Deo*, inquit magnus ille de tertio cælo, Gentium Doctor Apoſtolus. *a*. In quem locum Cornelius à Lapide, mentem Apoſtoli explicans ait; hoc primum noſtrum ſtudium eſſe debere, vt quilibet probet, id eſt exploret, ac exquirat *qua in re Deo maximè placere poſſit*.

2 De P. Petro Cotono Societatis Ieſu, viro admirandâ virtute illuſtri

ſtri Petrus Rouerius ita ſcribit in eius vita: *Cùm vel minimo indicio quidpiam Deo gratum eſſe cōperiſſet, nulla re prohiberi ſe ſinebat quin id ageret. b.* Non ſinamus nos prohiberi ab humanis reſpectibus, alijſuè: imò hortemur omnes ſenſus noſtros, & pedes, manus, cor, totum corpus, ac animam illis quibus olim Balthaſar Aluarez ſuos Nouitios, ac deinde Patres in virtute prouectos hortari ſolebat verbis; ceu teſſerâ prædeſtinatorum: *Eia non degeneremus*

Digitized by Google

mus à præcelſis cogitationibus filiorum Dei. c. Præcelſæ cogitationes filiorum Dei non ſunt contentæ mediocri quadam virtute, aut humili nomine vulgaris boni; ſed ſemper tendunt ad optimum, ſiue ad id quod magis eſt iuxta cor Dei.

3 Age, prædeſtinate ad ſumma & optima æternitatis bona, age; &, ita monente S. Gregorio Nazianzeno, *in ſempiternum æuū theſauriza. Nō parua menſura teipſum metiaris: quamlibet enim altè aſſurrexeris, infra*

ta-

tamen Dei legem es. d.
Nempe infra illā legem igneam : infra *primum* illud *maximumque* mandatum de Deo diligendo quod nunc optimè implere incipimus, dum Dei amore ſemper id volumus quod ei magis placet : complebimus verò in æternitate amoris, in cuius tyrocinio exercemur. Ita optimi filij ſagaces introſpicere laborant quid arrideat Patri quàmmaximè. Ita veluti genium Patris obſeruant ; neque aliud agere aſſueſcunt, quàm quod

ei ſummè acceptum eſſe arbitrantur.

4 Hac fabricatione, ſurgit nobis domus illa, æterna, & Regnum: de quo in rem noſtram ſic S. Petrus: Quapropter, fratres, *magis ſatagite*, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem, & *electionem* faciatis. hæc enim facientes non peccabitis aliquãdo. Sic enim *abundanter* miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri. *e.* Quem in locũ interpretes apud eruditum Lorinum ac a-

lios

Digitized by Google

lios; dicunt; indicari, per opera ſupererogationis reddi magis certam vocationē & electionem; atque volenti huiuſmodi certitudinem ſibi comparare, opus eſſe, non ſimplici mandatorum obſeruatione contentum eſſe; ſed *conatum altiùs dirigere, ac intendere.* Atq; hoc eſt quod prædeſtinatorum ianitor Petrus docet, vt non ſolùm agamus, verùm & ſatagamus, & *magis ſatagamus* quàm ſoleant mediocres, & remiſſi. Ita fiet vt magis ſatagentibus nobis *abun-*

danter miniſtretur introitus in Regnum æternum; licèt illius porta anguſta ſit.

5 Prædeſtinati, Deo cum Abel optima offerunt, tanquam optimo maximoque; ac eum delectant, & prouocant ad optimam in cælo remunerationem. Nam conſentaneum eſt, *Deum*, vt de ſuis ſuperis affirmat Ariſtoteles, *re illa quæ optima eſt, atque ipſi maximè cognata delectari & eoſque qui ea* (quæ optima ſunt) *maximè amant, & honorãt, remunerari. f.*

Tu autem remuneratio-
nem ſperes licèt atque
expectes, tamen amoris
potiùs quàm remunera-
tionis incitamento age
quod agis. Nihil melius
habet gloria prædeſtina-
torum quàm Deum ama-
re. Hanc remunerationẽ
deſidera, ad hanc aſpira,
hãc præſtolare, hanc totis
viribus quære. Quãto plus
hic amaueris Deum op-
tima quæq; agẽdo, tanto
plus amabis eundem in
optimo illo ac beatiſſi-
mo igne lumineque vi-
dentium atq; amantium
in æternum. Sed de hoc

craſtino die plura.

---

a. Ephes 5.10. b. Lib.3. cap.13. Lud. de Ponte in eius vita. Latine edit pag 226. d. Ad calcem operum in ſententijs. e. 2 Petri 1. v.10.11. f. Lib. 10. moral. Nicomachiorum cap.8.

X. Die Menſis.

Cæleſtis gloria hortatur nos vt id quæramus quod eſt optimum, ſeu quod Deo magis placet.

1 S*Anctorum gloria excedit omne bonum præſentis vitæ,* inquit Doctor

ctor Angelicus. *a.* Optimus ergò ille Deus qui optimum illud bonum nobis parat, dignus eſt vt cum illo & pro illo non niſi optima velimus; non tam in præmium, quã in illũ qui illud promittit intenti, quia illi placet vt ibi à nobis ametur æternum, quod nobis præmium erit hujus quẽ nunc ei exhibemus amoris. Quare ſi tibi videatur arduum eſſe in optima eſſe intentum, cogita illud S. Gregorij Nazianzeni *b.* *Ingens quidem nobis curſus propoſitus eſt;*

cæterùm ingentius præmium. b.

2 Et certè ſi amore optimi Dei optimum eligamus, omnem difficultatẽ abſorbebit ille ignis diuini amoris qui ſemper nos eleuat in ſublime, ad cælum; vbi, vt loquitur S. Auguſtinus, *vna virtus erit; & idipſum erit virtus præmiumque virtutis. c.* Eiuſdem eſt illud: Deum, vt homo aptus eſſet æternâ beatitudine perfrui, feciſſe in eo *dilectionem* ſpiritualem, *palatum cordis*. Tum animam hiſce alloqui-

tur: Suge, ô apicula, ſuge; ſuge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem ſuauitatem: immergere, & replere; quia ille deficere neſcit, ſi tu non incipias faſtidire. Sic Auguſtinus. *d.*

3 Dum ergò in optimo eligendo arduum, quid occurrit, in cælum introſpice: atque immenſum illud æternæ gloriæ pondus pondera, & expende. Ariſtoteles ait eligibilius & melius eſſe id *quod diuturnius, ſtabiliuſque.* Alibi dicit: Cum conſequens eſt *maius bonum,*

Digitized by Google

num; hoc eligibilius. Item: plura bona paucioribus eſſe eligibiliora. *e.* quæ omnia in bonis æternis locum habent, cùm ſint maximè diuturna, ſtabilia, maiora & plura, & pluribus nominibus digna vt vocentur bona, quàm omnia reliqua quę bona nuncupantur.

4 S. Petrus ait *maxima & pretioſa* nobis promiſſa donata. *f.* vt ergò digni efficiamur promiſſis illis; *maxima*, & *pretioſa*, non minima, non vilia debent eſſe opera quę facimus; id eſt optima

&

& maximo ſtudio facta, idque aſſiduè, iuxta illud Spiritus ſancti monentis: In mandatis ejus *maximè aſſiduus* eſto: & ipſe dabit tibi cor, & *concupiſcentia* ſapientiæ dabitur tibi. *g.* Hic ego arcanum quiddam mihi videor peruidere, quod experimento condiſcitur: eos nempe qui optima quærunt, ſenſim ſenſim perſentiſcere ſe maiore ſemper ac ſuauiore cæli, & rerum cæleſtium deſiderio accendi. Alcorani fabulæ fingunt regiam è margaritis in ſuo para-

diſo,

diſo, in qua ſint 70 domicilia è pretioſis carbunculis; & in ſingulis 60 ſmaragdinæ manſiones. Nugæ! *Maxima*, & *pretioſa*, & æterna ſunt quæ nos in æterni amoris Regno expectant. Ibi valebimus, iuſti erimus, fruemur amato Deo, citra timorem amittẽdi ſanitatem, iuſtitiam, Deum; quæ tria Ariſtoteles è Deliaco epigrammate ita laudat: Valere, eſt *optimum*; iuſtum eſſe, *pulcherrimum*; potiri fine amato, *iucundiſſimum. h.*

5 Denique ad agen-

dum

dum id quod eſt optimum connitendo, paramus nos illi felicitati quę omnium humanarum rerum *optima eſt*, vt loquitur idem Philoſophus: & quæ *ex diuiniſſimis rebus eſt: quippe cùm præmium virtutis, & finis, optimum quoddam ac diuinum beatumque eſſe videatur. i.* Enimuerò, ſi, ex eodem philoſopho, benè viuere, & *benè agere*, eſt finis, & felicitas, & *optimum*; *l.* is qui oculo in optimum æternum defixo, non bona tantùm ſed optima optimè agere vbique

Digitized by Google

que conatub; finem, felicitatem, *optimumque* conſequitur: adeòque cæli velut hortatoris vocem audire videtur, & ab æterna felicitate diſcere quomodo optimum ſit eligendum; vt æternùm amet illud bonum quo nil eſt melius. *Optimum bonum eſt felicitas*, ait ibidem Ariſtoteles; *& hæc ipſa finis*. Vnde docet; *actione viuendo ex virtutibus felices nos eſſe, optimumque bonum habere.* Illud ergo *bonum optimum* quod in cælo amabimus,

bimus (r) nos hortetur ad actionem quâ hîc *optimum bonum* operemur. Ita incipiemus hîc eſſe felices. Certè Eccleſia, inuiſibilium bonorum à Deo *diligentibus* præparatorum cogitatione incitata, petit cordibus noſtris diuini *amoris* affectum, vt promiſſiones illas quæ omne deſiderium ſuperant conſequamur. *l.* Amore conſequemur.

a. 3.*p.q.*46 *a.*6.*ad* 3. *b. In ſent. tetraſticis num.* 10. *c.* 1.2. *ep.* 52. *de vera felicitate. d.* 1.4. *lib. de ſubſtantia amoris cap.*3. *e.* 3 *Topic.c.*1.

&

& 2. f. 2. Petri. 1 v. 4. g. Eccli 6. 37. b Moral. Nicomach. l. 1 cap. 8. i. Ibid. cap. 9. k. 1. Magnorum Moralium cap. 4. l. Dom. 5. poſt Pentec.

XI. Die Menſis.

Id quod optimum, ſeu Deo gratiſſimum eſt quærere, eſt animi nobilis, ac excelſi.

1 HOmo, nobiliſſimus cùm ſit in terris, ipſa immortalis eius animi eminentia illum ad ſumma quæque inuitat. *Studium in anima poni-*

tur

tur (inquit S. Gregorius Nazianzenus) *quæ ex Deo eſt, atque diuina, ſupernaque nobilitatis particeps, ad eamque properans. a.* Par ergò eſt, vt ad illud tendat, velut ad finem ſuum, quod nobiliſſimum eſt in cælis, idque animo virtutibus exaggerato per nobiliſſimas, & Deo acceptiſſimas actiones; non verò tantùm mediocres. Ariſtotelis, & compluriium philoſophorum ſenſus eſt, *b. nobile* illud eſſe quod ex bono prodit genere; *nobilitatem* eſſe poſitam in virtute generis;

ris; *nobile* modicum, nobilius eſſe multo ignobili: denique id quod eſt *nobilius non tendere deſiderio in id quod vilius eſt.* Quid hic noſtra nobilitas?

2 S. Tereſiæ (oſtensâ illi cæleſti gloriâ, & iſtic eius patre ac matre, ac poſtea permultis alijs admirandis) dixit Deus: Conſidera, filia, quantum perdant ij qui mihi aduerſantur: id tu eis dicere ne negligas. Tum vero illa illiquefactæ in cor cæleſtis voluptatis plena, dixit, ſe tunc liquidò

quidò percepiſſe, *quàm humiles, quàm viles ſint eorum occupationes qui terrena hæc ſapiunt.* Tu quoque ſurrige nobilem animum ad nobiliſſima quæque: ne minora deſideres cùm ſis maior; ſed maxima, cùm ſis creatus ad maxima.

3 Longè dignior, inquit Bernardus, anima corpore, priorem ſibi ſolicitudinem naturali vendicat dignitate. *Nobilem hoſpitem habes, ò caro, nobilem valde*, & tota ſalus tua pendet de eius ſalute. Da honorem ho-

ſpiti

ſpiti tanto. Sic ille. *d.* Habebis verò illi honorem, ſi ex animæ non ex corporis conſilio id feceris quod anima melius eſſe tibi ſuggeſſerit, non quod corpus aggrauans animam.

4 Nobilis eſt illa Hugonis vox: In omni creatura quæ ſub Sole vanitatibus mũdanis occupatur, nihil humano *corde* ſublimius, nihil *nobilius*, nihilque Deo ſimilius reperitur. Quocirca nobiliſſimus eſſe contende, ſed moribus. id quod manebat S. Gregorius

rius Nazianzenus: *Vita potiùs, & moribus quàm animo te attolle. Illud enim tibi diuinitatem affert: hoc deÿcit, atque proſternit*. Hæc nobili corde complecti, eſt philoſophari diuinitùs. Ariſtoteles; Philoſophia, inquit, mirabiles habere & puritate, & *nobilitate*, & ſtabilitate voluptates videtur. *g*. Deinde dicit talem vitam præſtantioré eſſe quàm homini conueniat: non enim quatenùs homo eſt ita viuet; ſed quatenus *diuinum* quid in ipſo ineſt. Quæ

omnia longè magis vera ſunt de ſuauiſſimis illis, & præcelſis cogitationibus filiorum Dei, quorum intellectus intentè diſquirit, quid ſit optimum, quidùe Deo gratiſſimum. Certè, vt eiuſdem Philoſophi verbis rem proſequar, *vita quæ ex hoc intellectu traducitur, ſi humana vitæ comparetur, diuina eſt.*

5 Erige ergò nobilem animum ad cæleſtes cogitationes; intellectum hoc axiomate imbue, vt quærat id quòd eſt optimum, id eſt optimo Deo

gra-

tiſſimum. Ita immortaliter viues his altior. Neque enim oportet (ita nos excitãte eodem philoſopho) vnumquemque cùm ſit homo, humana; & cùm ſit mortalis, cogitare mortalia: ſed, quatenus licet, immortalem ſe reddere, *omniaque efficere, ut ex præſtantiſſimo vitam traducat. g.* Hoc eſt cogitationes ſuas facere domum Dei; vt vulgo dicitur, quòd *Domus Dei* ſit *cogitatio ſapientis*: hoc eſt illas honore ſummo afficere; nec in humilibus his ac vilibus diſtinere,

ſed in excelſo collocare attentas ad nutus oculorum, ſeu cordis Dei quid illi magis arrideat. Tales verè ſunt iuſti, quia ad ſummã iuſtitiæ normam attenti. Cogitatio illorum apud *Altiſſimum*. ideò accipient Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. *h.*

---

a. Orat. 1. *Apolog. b. Apud Ioannem Bapt. Bernardum in ſeminario Philoſ. de nobilitate. c. Vitæ ſuæ c.* 38. *d. Serm.* 6. *de Aduentu. e. Lib* 1. *de clauſtro animæ. f. In ſent. tetraſt. num.* 23. *g.* 10. *Moral. Nicom. cap.* 7. *h. Sap.* 5. 16. 17.

XII.

Digitized by Google

XII. Die Menſis.

Dum videmus eos qui omni ſtudio quàmmaximè contendunt placere hominibus; hac ipsà occaſione incitemur ad aſſiduam praxim, non minore opera id quærendi quod Deo magis placet.

1 E Peſſimis optima elicimus dum ſic agimus. Huius ingenij fuit Abbas ille Pambo qui Alexãdriæ theatricam quãdam fœminam vt vidit, fleuit.

fleuit. Rogatus cauſam, reſpondit; flere ſe illius perditionem: & quia, inquiebat, *non habeo tale ſtudium placẽdi Deo quale habet iſta vt hominibus turpibus placeat.* a. Vidit & Nonnus Epiſcopus *b.* Porphyriam, ſiue Pelagiam, ornatam *vt omnibus placeret*; atque vbertim lachrymatus eſt, quòd nos tã parùm ſtudij collocemus vt placeamus Deo qui & Pater noſter, & Sponſus eſt; & ea quæ promittit abundè præſtabit in æternitate. Nihil erat videre in Pelagia,

niſi aurum, & margaritas, & lapides pretioſos, torquem in collo, odorum fragrantiâ longè ac latè fusâ, pedibus quoq; auro ac gemmarum aceruo coopertis; ſequente illam frequentiſſimâ puerorum puellarumq; ſplēdido cultu inſignium coronâ. Atque hæc omnia hominum oculis per plures horas comparata, flebat Nonnus; cùm erga Deum adeò auari ſimus, adeò parci in horis aliquot illi dandis; in adornandis ijs quas eius amore agimus actionibus

Digitized by Google

adeò deſides, & quadam velut non-curantiâ ſocordes.

2 Certè Porphyria, id quod optimum habuit in theſauris corpori oculis mortalium ſic placituro adhibuit, quidni ergò nos quid ſit optimum, quid præſtātiſſimum diſquiramus, vt ſummis modis exornemus animam, diuinis oculis placituram?

3 Aulici Principibus pro ſpe longinqua, & putrida, cuius vix vel vmbram eos conſequi perſæpè contingit, placere

toti

illis vſquequaque contẽdunt, ita vt non placere tantùm ſed etiam maximo perèplacere enixè cõnitantur; parati ad noctes inſomnes, aſpera itinera, damna rei familiaris, crebram inediam, ſpinoſas curas; parati labore quàm maximo, quãtocunque ſuo ſuorumque incommodo, id agere, quod Principi magis arridere vel aduertêre ipſi, vel è quopiam genij Principis conſcio accepêre, vel ex ipſius Principis voce, aut nutu, aut literis didicêre: putarentque ſe

reos obſeruantiæ, grati animi, ſpei ſuæ, atq; fortunæ per inertiam profligatæ, ſi vel ſemel conſtaret Principi, ab eis aliquid omiſſum quod ei gratum fore coniectare potuerint. Et ſi duæ ſe res offerant quarum alteram præ altera magis placere Principi dubium illis non eſt; non dubitant, eam quæ magis placet præ altera, eligere, ac exequi, magno id licèt conſtet.

4 *Cauete*, aiebat S. Ignatius Fundator, *cauete, ne filij huius ſæculi maiore curà & ſolicitudine*

in caducarum rerum, quàm vos æternarum, aſſecutionem incumbāt. Pudeat quòd in mortem illi quàm vos in vitam citatiori gradu ferantur. Viles, abiectos, imbelles vos, ignauoſque putate, ſi vel vnus in Aula reperiatur, qui vt terreni Principis fauorem neſcio quem, & gratiam aucupetur, ipſius nutibus diligētius ſeruiat, quàm vos, vt gratioſi apud cæleſtem Regem Imperatoremque euadatis. c.

5 Huc faciunt ſancta illa S. Getrudis ſuſpiria: Da vt nihil extra te dili-

gam: vt *amore* te diligam, *amore* tibi ſeruiam: in te habeam omnia, quæ *amare* appeto ſuper omnia. Hinc & illa S. Franciſci Seraphici: Tu es altiſſimus: tu es amor charitas. tu es pulchritudo. Da nobis miſeris propter temetipſum facere quod ſcimus te velle; & *ſemper velle quod tibi placet. d.*

---

a. Roſvveidus vit. PP. lib. 5. pag. 566. b. Ibid. l. 1. pag. 377. c. De perfect. ep. 2. num. 3. In exercitijs pietatis Madriti impreſſis fol. 10. d. Vide ſpec. fol. 127. & opuſcula p. 101. ex eius chirographo.

XIII.

XIII. Die Menſis.

Dum diabolum & angelos eius audimus agere semper id quod peſſimum facere poſſunt contra Deum; eadem occaſione moneamur in praxi, ut amore Dei id quod optimum eſt agamus.

1 ARiſtoteles diſquirens quid ſit *melius*, reſpondet; *Melius eſt quãto propinquius fuerit optimo*. a. Idcircò deterius dici poteſt quod

magis

magis eſt remotum ab optimo. Quare dæmon eſt deterrimus, quia per peccatum ab optimo Deo eſt remotiſſimus: qui Deus eſt optimus, ac vltimus finis noſter ad quē nobis per optima media tendē-dum eſt. Nam, vt ait ibidem Philoſophus, *maximè optimum eſt omnibus illum ſortiri finem*. Excidit ab illo fine optimo peſſimus ille. Vnde nos quoque ab illo ſummis viribus conatur abducere.

2 *Peruicaciſſimus hoſtis ille*, inquit Tertullia-

lianus, *nunquam malitiæ ſuæ otium facit. b.* Idcircò nec nos parcamus nobis atque ſolertiæ. *Obſeruat,* vt ait ibidem Tertullianus, *oppugnat, obſidet, ſi qua poſſit* &c. *non ſcandalis, non tentationibus deficit.* Ardet odio rabido contra Deum diabolus: nempe contra optimum peſſimus. Et illius odij impulſu, nihil vnquam omiſit, omittit, aut omittet occaſionis, quæcunque, vbicunq;, quandocunq; ſe offerat, quam non vtraque, quod aiunt, manu arripiat. Et ſi ſine

occa-

occaſiones plures, arripit eam quæ & Deo maximè diſpliceat, & nobis maximè poſſit officere; vt nos Deo reddat exoſos, & Deum nobis.

3 Quapropter quemadmodum ille, inſtinctu illius odij, ſemper id facit, nobiſque perſuadere ſummo ſtudio conatur quod peius eſt; ita nos, age, non minore conatũ enitamur hac ipsâ occaſione contra illũ pro Deo vti: & viuido quodam ac inflammato diuini amoris inſtinctu id ſemper in omni occaſione agamus quod

quod melius eſt, id eſt quod Deo magis placet: vt noſter erga Deum amor non ſit minor rabido illo dęmonis odio cōtra Deum: atque vtinam ſit maior etiam noſter hic amor quàm ſit odium omnium dæmonum, totiuſque inferni; & non minore igne in nobis ardeat flamma cæleſtis incendij quàm ſint omnes flammæ quibus gehenna ſuos immortaliter cruciabit. Ita deſideraſſet Catharina Genuenſis in inferno ſubmergi, ſi flammæ inferni eſſent flam-

mæ amoris Dei. *c.*

4 Auſus eſt ipſum Chriſtum tētare dæmon, ne quid non tentaret. Transfigurat ſe non ſolùm in Angelum lucis, verùm & in alias metamorphoſes ferarum; vt patet è vita S. Antonij, & è S. Ioanne Chryſoſtomo: vbi ferociſſimi, & luto inquinati porci inſtar inſilire in quendam conſpectus eſt. *d.* Videt nobis Angelos cuſtodes aſſiſtere: ac ideò, ne ſegnis contra nos videatur; *ſicut Angeli*, quod ait S. Ambroſius, *electos Dei cuſto-*

ſtodiunt; ita & dæmones, impios obſeruant, ne aliquando ab iniquitatibus ſuis reſipiſcant; & ſaluentur. e. Quare ſicut illi, vt Dei amorem in nobis extinguant, omnes technas adornant, modoſq; obſeruant; ita viciſſim nos nihil prætermittamus quod ad diuinum amorem in nobis magis accendum forti adminiculo eſſe poſſit; & optemus tantum, ſi id fieri poſſit, eſſe in corde noſtro ignẽ amoris Dei quantus ignis eſt in inferno; vt amemus æternùm inflãmati.

Re-

5 *Rebelles, atque inuidi ſpiritus*, vt ait S. Gregorius Nazianzenus, *ad obeunda ſua miniſteria celeres eſſe ſolent, multos exitÿ ſui ſocios habere cupientes. f.* Ne itaque ſimus nos deſides, vel tardi ad miniſteria amori Dei accendendo profutura. Non cedendum perfido: & licèt ille ſit fraude, vſuque ſuperior, tamen ductore diuino amore (quo ille caret, ac aliquando ſuum nomen dixit eſſe, ego ſum is qui eſt ſine amore Dei) vincetur à nobis. Nam, vt ait

ait S. Petrus Chryſologus, *ſicut diabolus impellit ad mala; ſic Deus deducit ad bona. g.* Quocirca eò nobis magis laborandum eſt vt optima, quæque ac Deo gratiſſima eligamus, quò ille deteriora ſuadet ſemper odio Dei rabidus, & vt S. idem Petrus Chryſologus loquitur, *nocendi vſu tritus; lædendi arte promptiſſimus. h.* Docet ergò nos exemplo ſuo nõ minùs promptos eſſe debere ad optima, quàm ille ſit promptus ad peſſima. Sed id non viribus

noſtris, verùm diuini amoris: cuius ope ex ipſis peſſimi dæmonis contra Deum & nos conatibus incitamentum ſumemus ad ſumma quæq; ac optima; vt optimi ſimus; ſicut ille eſt peſſimus; ille Dei odio, nos amore.

a. 2. De cœlo textu 66. b. C. 7 de pœnit. vbi plura c. Apud Binetium pratis amoris Dei c. 8. num. 8. d. Lib. 1. de prouid. c. 1. in fine. e. T. 5. in Apoc c. 18. f. Orat. in laud. Cypriani, cap. 134. g. Serm. 11. h. Serm. 70.

Digitized by Google

XIV. Die Menſis.

Suaſu Diuini Amoris id ſemper quod eſt optimum quærendo, non parcè ſed liberaliter ſeruiemus Deo.

1 S. Franciſcus, Seraphicus diuini amoris & diſcipulus, & magiſter, expendens illa Chriſti verba, *Fiat voluntas tua*; ita ſuſpirat ad Deum: Vt te *amemus infinito amore: vt omnes vires liberaliter impendamus in obſequia tui amori*

moris, *& non in alia. a.* Hanc amantis animi liberalitatem pro inſigni vitæ ſpiritualis axiomate ponit. S Ignatius Fundator. *b.* In vniuerſum loquendo, inquit, quanto aliquis ſe arctiùs Deo adſtrinxerit, & *liberaliorem* erga ſummam maieſtatem ſe præſtiterit; tantò in ſe *liberaliorem* etiã experietur: & ipſe indies magis idoneus erit ad gratias, & dona ſpiritualia vberiora recipienda.

2 Huius liberalitatis velut altrix eſt noſtra hæc praxis voluntatis ita

comparatæ vt non tantùm ea velis ad quæ ſub cuiuſcunq; peccati obligatione teneris, verùm & ea quæ dicuntur opera *ſupererogationis*, quando tibi, Patriùe tuo ſpirituali videbitur Deo gratius fore ſi ea facias quàm ſi omittas. Hoc eſt corde liberaliter dilatato vi caloris cæleſtis, currere viã, imò & ſemitam, mandatorum dilecti ſuper omnia Dei noſtri. *Copioſa* non auara, non parca eſt *apud eum redemptio* cuius amore operamur: *cuius*, vt ait S. Thomas, *una ſtil-*

la ſaluum facere totum mundum poterat. c. & tamē liberaliſſimè nos redemit tantâ aſſiduitate laborum, demiſſione tantâ, tot probris, ac demum fuſis pro nobis lachrymis, & ſudore, ac ſanguine copioſo; elegitque modum nos redimēdi teſtem ſtupendæ liberalitatis atque amoris; licèt ille ipſi longè difficillimus fuerit, ac mœrore, ignominiâ, dolore acerbiſſimus.

3 Necdum tam prodigum erga ſe Dei amorem expertus fuerat po-

pulus

pulus Dei electus; & tamen adeò ſe liberalem erga Deum exhibuit, vt de illo æternæ memoriæ commendari voluerit Spiritus ſanctus illa verba: *Plus offert populus quam neceſſarium eſt. adeò vt oblata ſuperabundarent.d.* Enimuerò qui altè perpendit, ſibi cum Deo eſſe negotium, deſiderabit ſemper plus poſſe erga tam effuſum erga nos Dominum. Scitè id expreſſit S.Gregorius Nazianzenus, illo ſuo egregio documento: Dei ſolius, rerumque diuina-

Digitized by Google

rum *inexplebili* cupidit
te flagra; qui ijs qui a
ceperunt, *plura* indi
impertit; *ſitiri nimiri*
ſitiens, *vberrimèque*
perenniter fluens. e. I
reliquis autem rebus t
ſuperari æquo animo f
ras. Ita ille. quaſi dic
nos in hoc optimos eſ
ac præſtare omnibus d
bere; quippe in re op
ma, Deoque gratiſſima
4 Huc facit aurea
la S. Ioannis Damaſce
Deo ſic loquentis orati
Gratia tua *inſatiabili*
agit in nobis à manè
veſperam, & à veſper
ad

ad alterum manè. Gubernas, & foues me in pullum tuum, tanquam *facturam amoris tui. ſ.* Idcircò ingenuo pectore, ac liberali ſeruiamus Deo: nec nobis parcamus, vt ad id quod eſt optimum totis viribus per quæuis ardua euadamus. Hoc ſine labore non fiet; ſed nec ſinè ingenti, ac ſtupendo operæ pretio, ac amantiſſimâ dilecti ſuper omnia Dei approbatione, gaudio, delectatione. Delectare in Domino; & delecta Dominum. Neque parcas expenſis,

id eſt labori. Nullum laborem, inquit S. Ignatius Fundator, *nullum laborem in bonis omnibus, laudabilibuſque exercitijs detrectare debetis. g.*

5 Deus ad exquiſitiſsimam ſuæ voluntatis per leges expreſſæ obſeruantiam populum ſuum hortatus, ſumma quæq; illi promittit. Faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus: venient ſuper te vniuerſæ benedictiones, & apprehendent te: abundare te faciet Dominus omnibus bonis. Aperiet

the-

theſaurum ſuum *optimũ*, cælum. *h.* En quanta liberalitas optimi Dei!. Quomodo ergò fiet vt adeò viles, adeò ſordidi eſſe poſſimus erga Dominum talem ac tantum?. *i. Lætatus eſt*, inquit Spiritus ſanctus, *lætatus eſt Deus bene vobis faciens*. Quocirca corde liberali, corde læto, aperiendus eſt *optimus* cordis theſaurus, & liberaliter inde depromendum id quod optimum eſt, ſiue id quod optimo Deo maximè acceptum eſt.

a. Ex Italico Chron. Min. l. 1. cap. 90. b. Summar. 19. c. In rhythmo Ad Euch. d. Exodi. 36. 5. 7. e. In ſent. tetraſt. num. 37. f. Ad calcem operum in orat. ad Christum. g. Epiſt. de perfectione. h. Deut. 28. u. 1. 2. 11. 12. i. u. 63.

XV. Die Menſis.

Aſſidua, & ardens oratio præclarum eſt adiumentum ad obtinendum ut id quod Deo magis gratum eſt eligamus.

1 TErtullianus, *quod maximè bonum*, inquit, *id maximè penes Deum: nec alius id quàm*

qui

qui poſſidet diſpenſat ; vt cuique dignatur . a. Et profectò, cùm ſinè Deo nihil poſſimus facere; multò minùs poterimus animum ad maxima iſta ſurrigere. Nam id non exiliter, ſed eximiè diligentium eſt.

2 Neque tamen idcircò deſpondere animũ decet. Tametſi enim, vt, more ſuo ibidem grauiter ait Tertullianus, *bonorum quorundam intolerabilis magnitudo eſt, vt ad capienda & præſtanda ea gratia diuinæ inſpirationis operetur*; tamen hoc

ipſum perplacet Deo, quòd ad hæc magna eniti conemur quà per tenuitatem noſtram licet; ac, ſi rogetur, adeſt libenter magnis conatibus, imò etiam vt rogetur inſpirat. Hinc inter agendum ſuſpirant ad Deum optimi quique, vt ab optimo Deo lumen obtineant, quo perfuſi videant quid magis gratum ſit Deo. *Da mihi*, aiebat Sapiens, *da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*. *b*. Mitte illam de cælis ſanctis tuis; vt mecum ſit, & mecum laboret: *vt*

ſciam

ſciam quid acceptum ſit apud te: & erunt accepta opera mea.

3 Vt ergo te ad optima quæque eligenda, & exequenda diſponat, erudiat, adiuuet optimus Deus, illum aſſiduè precare. Enimuerò inde id petendum ſuggerit S. Iacobus Apoſtolus in hæc verba rem explicãs: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* c. Optimum certè donum eſt habere à Deo gratiam, vt amore Dei ductus op-

noueris. e. Quare ita idẽtidem ad Deum cum Eccleſia ſuſpirabis pro amore Dei ad optima eligenda obtinendo: Deus virtutum, *cuius eſt totum quod eſt optimum*, inſere pectoribus noſtris *amorem* tui nominis. *f.* Hoc amore impetrato, facies optima omnia, eique gratiſſima cuius eſt totum quod eſt optimum. Ariſtoteles de dictione optimâ Alexandro ſcripturus; Quemadmodum, inquit, veſtium decore atque magnificentiâ cæteris hominibus præſtare ma-

maximè ſtudes, ita etiar
dicendi inuentionem a
vim eam vt accipias ni
tendum eſt, quæ *pulcher-
rima* ſit, *apprimèque præ-
clariſſima*, g. Quod ille
de aptè dicendo ad ho-
mines, dixit, hoc ego de
aptè orando Deo pronun-
cio. Vt impetres ab op-
timo Deo gratiã id quod
eſt optimum eligendi v-
bique ac faciendi, opus
eſt oratione optimâ, ſiue,
vt Ariſtotelis verbis, &
meo ſenſu loquar, oratio-
nę *qua pulcherrima ſit,
apprimèque præclariſſima*,
adeoq; digna quę auro no-
te-

tetur ab Angelis;id quod S. Bernardus aliquando fieri vidit cum ijs qui opptimè orabant. Clama, ne ceſſes id à Deo poſtulare. Hoc ipſum deſideriũ quo flagras id à Deo impetrandi, ſit tibi inuitamentum ad id crebriùs flagitandum. *Clamor ad Deum*, inquit S. Proſper ex Auguſtino, *eſt intentio cordis, & flagrantia dilectionis: quia ſemper petitur quod ſemper optatur. h.*

5 Quocirca excita mentem identidem ad id à Deo petendum quod

eſt

eſt optimum; idque idcircò pete vt in actu exercito, quod aiunt, ſiue exercitio ipſo, creſcas in amore Dei dum eius causâ eligis id quod ei maximè placere exiſtimas. Sic agendo, & ſæpè, inſtanterque petendo tandem euinces. Et hæc oratio eſt optima occupatio voluntatis. *Nec aliquid in nobis*, ait S. Proſper *libera voluntas melius agere poteſt, quàm vt illi ſe commendet qui malè agere non poteſt.* i.

---

a. De patientia cap. 1. num. 2.

Sap.

b.Sap.9. v 4.10 12. c Ep Cath.c.1.c. v 17. d Dom.18. poſt Pentec. e. Lib. 5.ep.14. f. Dom 6 poſt Pent. g. Initio Rhetor. ad Alexandrum. h.Sent. 100. i. Apud Drexelium heliotropij lib.5.cap.12.§.2.

XVI. Die Menſis.

Dei præſentis memoria eſt praxis optima ad optimum eligendum.

1 ADeſt nobis vbique Deus non otioſus ſpectator; cuius amoris rectione id quærimus quod ei magis placet. Facimus omnia in oculis Dei

Dei cũcta cernẽtis; cui, *i oculis tuis*, aiebat S. Gertrudis, *inextinguibiliter ardet præclara æternitas a*. Accẽdamur & nos: atque ad præclaræ æternitatis in oculis Dei inextinguibiliter ardentis ignes exardeſcamus, & ad lumen oculorum illorum præclariſſima quæq; id eſt, optima, agamus. Id quod vt faciliùs cõſequamur, petendum eſt ab oculis illis æternitatis lumen; vt videamus quid maximè placeat Deo coram quo agimus.

2 Vtendum ergo cõ-

ſilio

ſilio Chriſti S. Mectildem ſuſpirare identidem docentis; vt doceri à Deo peteret: *Vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore*. *b.* Interroga præſentem, videntẽ, audientem, amantem te Deum quid à te maximè fieri hîc & nunc velit. *Optimi eſt optima adducere*, inquit S. Dionyſius laudatus à S. Thoma. *c.* Sub oculis ergò Dei optimi optimus eſſe conare amore eiuſdem coram quo & cuius causâ facis quod facis.

3 Ex perfectos, for-

tes,

tes, magnanimos, Deique noſtri amantes nos eſſe oportet; vt eſt miles qui ſub Imperatoris oculis pugnans gaudet ſe ab illo videri, eòque, rem gerit quàm poteſt optimè. Idem, & maiore animo, faciamus in oculis Dei, quem amare honorareque conamur modis quàm optimis. *Neque de omni honore fuerit, ſed optimo, magnanimitus*, inquit Philoſophus. *d.* Hic agẽdi modus nos illuminabit sẽper ampliùs, quippe appropinquantes Deo. faciet enim vt nos Deo

adeſſe meminerimus, & ad id cogitandum aſſueſcamus, familiari & magno ad optima quæque compendio. *Melius eſt*, inquit laudatus aliàs Ariſtoteles, *quanto propinquius fuerit optimo. e.* Idem, ſed clariùs, Auguſtinus: Tanto nobis melius eſt, quanto magis in illum imus *quo nihil melius eſt*. Imus autem non ambulando, ſed *amando*: quem tanto habebimus *præſentiorem* quanto eundem *amorem*, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Ad eum

qui

qui *vbique præſens* eſt, & vbique totus, non pedibus ire licet, ſed moribus. *f.* Si autem quæras ex Auguſtino hæc dicente quibus potiſſimùm moribus appropinquandum ſit præſenti nobis vbique Deo; *amorem* Dei ſuggeret pro reſponſo, qui eſt morum optimorum magiſter longè optimus. Mores autem noſtri, pergit ibid. Auguſtinus, non ex eo quod quiſque nouit, ſed ex eo *quod quiſque diligit* diiudicari ſolent. Nec faciunt bonos vel malos mores niſi boni vel

mali

mali *amores*. Hæc Auguſtinus.

4 Pete in hac diuini amoris ſchola quotidie proficere, atque ad præſentē Deum cum S.Gertrude ita ſuſpira: *g.* Ex corde, & ex animo deſidero te. Eia fac, vt nouo ſemper feruore ſpiritus *in amore viuido creſcam*! & ſub diſciplina gratiæ tuæ, vnctione magiſtrâ, *in ſchola amoris tui proficiam benè vehementer valdè*. Ad opus quodpiam: *ſic fiat hoc ſacrificium meum in conſpectu tuo; vt placeat tibi,*

bi, *Domine Deus*.

5 Adeſt, videt, ac æternis commentarijs cõmendat Deus ea quæ agimus. Videbat è monte Xerxes pugnantes ſuos; & hiſtoricis, ſiue potiùs actuarijs, qui eum circumdabant præcipiebat vt perdiligenter notarent ardorem ſtrenuè pugnãtium, eorum vel maximè qui militis optimi partes implerent: id quod actuarij haud indiligẽter exequebantur. *b*. Certè nobis, quando, mediocribus non contenti, *optimi* nomen ac rem occupare con-

contendimus contra nos ipſos pugnandum eſt : at meminerimus pugnandũ nobis eſſe ſub oculis non Xerxis, verùm Dei, atque ſanctorum in Deo conatus noſtros videntium, atque laudantium, imò iuuantium. Hinc ergo par eſt vt nobis creſcat animus, atque fiducia, vt ad ſummum optimi apicem euadamus.

---

a. In exercitÿs pietatis impreſſis Madriti fol. 20. b. Lib. 4. Spirit. grat. cap. 8. c. Opuſc. 61 c. 3. de dilect. proximi. d. Magnorum moralium l. 1. c. 23. e. 2 De cælo ſummâ 3.

cap. 5. textu 66. f. Tom. 2. ep. 52. g. Exercit. vt ſupra fol. 5.6. Vide de Lingendes tom. 1. Conc. 2. de tent. pag. 438.

XVII. Die Menſis.

Non niſi vincendo ſe in praxi crebriùs, peruenitur ad id agendum quod magis placet Deo.

1 ENimuerò plerumque quod magis placet Deo, minùs placet ſenſui, & appetitioni animi noſtri, vel carnis, cuius palato non ſa-

ſapiũt ea quæ ſunt ſpiritus. Quare ſicut nunquã faciliore compendio, & pulchriore triumpho nos vincemus, quàm ſi aureo illo diuini amoris telo inſtructi ad id quod eſt optimum oculos intendamus; ita nunquam, faciliùs, ac feliciùs inueniemus id quod eſt optimum Deoq; gratiſſimum, quàm ſi nos aſſiduè peruincere aſſueſcamus. Ita olim Spartanos pugnaturos, *Amori* ſacra feciſſe, accepimus. *a*. Ita fiet vt nil niſi Deum quæramus, efficiamuſque ne *aurum*

Digitized by Google

optimum diuini amoris, aliqua noſtri commodi ſcoria fortè aſpergat, & ad excelsū diuini cordis thronū euolaturi cordis alas puluis terræ inficiat, ac deorsū premat.

2 Chriſtus poſteaquam ſuos oculos, aures, os, cor denique ſuum S. Mechtildi donaſſet, vt ſic optimè ageret quicquid internis externiſue ſenſibus agi poſſet; hoc axioma illi dedit pro regula, & via ad Deum excelſiùs penetrandi: Quanto ampliùs te ab omni creatura elongando,

do, earum conſolationem abieceris, tanto magis ad maieſtatis meæ inacceſſibilem *celſitudinem* eleuaberis. *b.*

3 Verum quidem eſt id fieri non ſine impenſis, id eſt, non ſinè difficultate. Neque enim caro noſtra ænea eſt, vt illi negemus ea quæ illi commoda ſunt, & citra culpam præberi poſſunt: neque paruo conatu conſtat vt peruincere te in minutis & crebris occaſionibus aſſueſcas, & id facias non quod tibi magis arrideret, ſed quod

Digitized by Google

S. Auguſtinus ait nul
eſſe dilectionē quâ qu
diligit ſeipſū, niſi quod
ligit Deū. *Qui enim al*
ſe diligit, potius ſe od
dicendus eſt. Nemo
diligendo Deum, dil
ſeipſum. d. Qui ergò
diuino amore peruic
vincit ſeipſum, vt, eti
quando difficile id ex
tur, id quærat quod
num eſt; & Deum
amat. Vt diuini am
ris ſtatuam eleganter,
ſcitè ſculpamus, id e
vt optima quæq; effic
mus ex arte diuini am
ris; malleo eſt opus,
ma-

Digitized by Google

manu, & ſcalpri ſalubris ictibus, ac tunſione plurimâ, hoc eſt ſui victoriâ.

5 *Ars eſt artium ars amoris*, inquit S. Bernardus. c. Hac arte opus eſt vt optimum tuum opus efficias, peruictâ omni ſenſim difficultate aliâ poſt aliam; vt ars elaborare ſolet quæ facit. Ariſtoteles author eſt ijs qui mente nobiliore ſunt pręditi; vt nullã difficultatem pertimeſcant, vt ſe ſuperent, ac inter duo quæ ſe offerunt illud eligant quod eſt melius,

tametſi difficilius. Eligendum ait *quod maximè inſigne; & quod difficilius. f.* Et ad hoc nunquam, niſi te perſæpè vincere aſſueſcendo, peruenies. Suadet idem Philoſophus, vt eligatur id quod *melius & principalis facit bonum: ut ſi hoc quidem animam faciat bonam, illud autem corpus; eligatur quod animam facit bonũ: item eligendum maius bonum; aut ſi maiore maius* (id eſt maximum) *fuerit alterum. g.* Certum autem eſt, animæ bonum eſſe

maius

maius quantolibet corporis bono quantumlibet magno: ac proindè corporis incommoda per generoſam victoriam pro bono animæ ſuperanda: & tum te amor Apocalypticis illis præmijs, quæ *vincenti* promiſſa ſunt, coronabit. *h.*

---

a. Alex. ab Alex. genl. l.4. cap.7. b. Spirit. grat. l.2. c.30. c. L.4. Nicomachiorum c.2. mihi pag. 87 & 89 d. Tom. 2. ep.52. e. De natura diu. amoris c.1. f. 3. Topic. cap. 2. g. 3. h. Apoc. 3. & 21.

qui *vbique præſens* eſt,
vbique totus, non pec
bus ire licet, ſed mor
bus. *f.* Si autem quær
ex Auguſtino hæc dice
te quibuspotiſſimùm m
ribus appropinquandu
ſit præſenti nobis vbiqu
Deo; *amorem* Dei ſugg
ret pro reſponſo, qui e
morum optimorum m
giſter longè optimus. M
res autem noſtri, perg
ibid. Auguſtinus, non
eo quod quiſque noui
ſed ex eo *quod quiſque*
diligit diiudicari ſolen
Nec faciunt bonos v
malos mores niſi boni v
mali

mali *amores*. Hæc Auguſtinus.

4 Pete in hac diuini amoris ſchola quotidie proficere, atque ad præſentẽ Deum cum S. Gertrude ita ſuſpira: *g.* Ex corde, & ex animo deſidero te. Eia fac, vt nouo ſemper feruore ſpiritus *in amore viuido creſcam*! & ſub diſciplina gratiæ tuæ, vnctione magiſtrâ, *in ſchola amoris tui proficiam benè vehementer valdè*. Ad opus quodpiam: *ſic fiat hoc ſacrificium meum in conſpectu tuo; vt pleceat tibi,*

bi, Domine Deus.

5 Adeſt, videt, ac æternis commentarijs cõmendat Deus ea quæ agimus. Videbat è monte Xerxes pugnantes ſuos; & hiſtoricis, ſiue potiùs actuarijs, qui eum circumdabant præcipiebat vt perdiligenter notarent ardorem ſtrenuè pugnãtium, eorum vel maximè qui militis optimi partes implerent: id quod actuarij haud indiligẽter exequebantur. *b.* Certè nobis, quando, mediocribus non contenti, *optimi* nomen ac rem occupare con-

contendimus contra nos ipſos pugnandum eſt : at meminerimus pugnandũ nobis eſſe ſub oculis non Xerxis, verùm Dei, atque ſanctorum in Deo conatus noſtros videntium, atque laudantium, imò iuuantium. Hinc ergo par eſt vt nobis creſcat animus, atque fiducia, vt ad ſummum optimi apicem euadamus.

a. In exercitÿs pietatis impreſſis Madriti fol. 20. b. Lib. 4. Spirit. grat. cap. 8. c. Opuſc. 61 c. 3. de dilect. proximi. d. Magnorum moralium l. 1. c. 23. e. 2 De cælo ſummâ 3.

ſapiũt ea quæ ſunt ſpiritus. Quare ſicut nunquã faciliore compendio, & pulchriore triumpho nos vincemus, quàm ſi aureo illo diuini amoris telo inſtructi ad id quod eſt optimum oculos intendamus; ita nunquam faciliùs, ac feliciùs inueniemus id quod eſt optimum Deoq; gratiſſimum, quàm ſi nos aſſiduè peruincere aſſueſcamus. Ita olim Spartanos pugnaturos, *Amori* ſacra feciſſe accepimus. *a*. Ita fiet vt nil niſi Deum quæramus, efficiamuſque ne *aurum*

optimum diuini amor
aliqua noſtri comm
ſcoria fortè aſperga
& ad excelsũ diuini c
disthronũ euolaturic
dis alas puluis terræ
ficiat, ac deorsũ prem

2 Chriſtus poſt
quam ſuos oculos, aur
os, cor denique ſuu
S. Mechtildi donaſſe
vt ſic optimè ageret qu
quid internis externi
ſenſibus agi poſſet; h
axioma illi dedit pro
gula, & via ad Deu
excelſiùs penetrandi
Quanto ampliùs te
omni creatura elonga
do,

do, earum conſolationem abieceris, tanto magis ad maieſtatis meæ inacceſſibilem *celſitudinem* eleuaberis. *b.*

3 Verum quidem eſt id fieri non ſine impenſis, id eſt, non ſinè difficultate. Neque enim caro noſtra ænea eſt, vt illi negemus ea quæ illi commoda ſunt, & citra culpam præberi poſſunt: neque paruo conatu conſtat vt peruincere te in minutis & crebris occaſionibus aſſueſcas, & id facias non quod tibi magis arrideret, ſed quod

præſenti ac ſpectanti te, Deo magis placet. Sed conſtet quantum velit. cũ generoſo Lectore mihi negotium eſt. Opus eſt magno animo, imò magnifico ad excelſam hãc fabricam. *Magnificus*, inquit Ariſtoteles, *conſiderabit magis quomodo pulcherrimum, & decentiſſimum opus efficiatur, quã quanti conſtet. c.* Sis ergo Dei amore ac imitatione *magnificus in ſanctitate*; idque factis oſtende: neque melioribus potes quã quos nunc ſuggero, id eſt, optimis Deoq; ſummope-

moperè acceptis. *Magnifici eſt*, ait idem Philoſophus, *vt in quocunq; genere quidpiam fecerit, magnificè id faciat*: non parcat impenſis, id eſt magno conatui; ſe ſuperet, etiam in arduis, ac moleſtis. Vnde dicere ſolemus cùm arduum quidpiam ſuperauimus, id nobis magno conſtare.

4. Hæc autem ſui victoria redditur amanti longè facilior. Amamus enim Deum vſque ad odium noſtri: quanquam hoc odium verè ſit amor.

Digitized by Google

S. Auguſtinus ait nullam eſſe dilectionē quâ quiſq; diligit ſeipsū, niſi quod diligit Deū. *Qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt. Nemo niſi diligendo Deum, diligit ſeipſum. d.* Qui ergò à diuino amore peruictus vincit ſeipſum, vt, etiam quando difficile id experitur, id quærat quod optimum eſt; & Deum, & ſe amat. Vt diuini amoris ſtatuam eleganter, ac ſcitè ſculpamus, id eſt, vt optima quæq; efficiamus ex arte diuini amoris; malleo eſt opus, ac ma-

manu, & ſcalpri ſalubris ictibus, ac tunſione plurimâ, hoc eſt ſui victoriâ.

5 *Ars eſt artium ars amoris*, inquit S.Bernardus. e. Hac arte opus eſt vt optimum tuum opus efficias, peruictâ omni ſenſim difficultate aliâ poſt aliam; vt ars elaborare ſolet quæ facit. Ariſtoteles author eſt ijs qui mente nobiliore ſunt prę-diti; vt nullã difficultatem pertimeſcant, vt ſe ſuperent, ac inter duo quæ ſe offerunt illud eligant quod eſt melius,

tametſi difficilius. gendum ait *quod max* *inſigne*; *& quod diff* *lius. f.* Et ad hoc nu quam, niſi te perſ vincere aſſueſcendo, p uenies. Suadet ide Philoſophus, vt eliga id quod *melius & pr* *cipalis facit bonum: v* *hoc quidem animam f* *ciat bonam, illud a* *tem corpus; eligatur qu* *animam facit bonã: it* *eligendum maius bonum* *aut ſi maiore maius (* eſt maximum)*fuerit al* *rum. g.* Certum autem eſt, animæ bonum eſt

maius

maius quantolibet corporis bono quantumlibet magno: ac proindè corporis incommoda per generoſam victoriam pro bono animæ ſuperanda: & tum te amor Apocalypticis illis præmijs, quæ *vincenti* promiſſa ſunt, coronabit. *h.*

---

a. Alex. ab Alex. genr. l.4. cap.7. b. Spirit. grat. l.2. c.30. c. L.4. Nicomachiorum c.2. mihi pag. 87 & 89 d. Tom.2. ep.52. e. De natura diu. amoris c.1. f. 3. Topic. cap. 2. g. c.3. h. Apoc. 3. & 21.

XVIII. Die Menſis.

Voluntas, ad optimum, ſeu ad id quod Deo magis placet, volendum, frequenter inclinanda; ut ad id aſſueſcat.

1 CVM voluntas noſtra ſit potentia libera, in arbitrio noſtro eſt hoc nolle, illud velle; licèt id difficile videatur. Vnde peritiores diuinæ ſcholæ magiſtri, pro inſigni vitæ ſanctioris, ac adipiſcendæ cuiuſcunque vir-

virtutis documento habent; vt voluntas frequenter teſtetur, ſe hoc velle, quia Deo ſic placet, licèt nobis aliàs fortè diſpliceat. Hoc ipſum in præſenti optimi eligẽdi negotio eſt agendum. Frequẽter expergefaciẽda, etiam cùm refractariola eſt, voluntas, vt quanto maximo poteſt rigore ac robore conetur, ac ſe permoueat ad id vbique volendum quod ab intellectu didicerit, Deo maximè gratum eſſe.

2 Quò frequentiùs id fecerit, eò citiùs atque fa-

faciliùs euadet ad culmen illud ad quod hîc aſpiramus : nempe vt aſſueſcat in praxi, omnia non niſi idcircò velle dicere, facere, omittere, quia ratio illi oſtendit hoc Deo maximè placere; hîc & nunc à nobis nihil melius, nihil gratius Deo fieri poſſe; adeóque conuincit, illud eſſe optimum, pulcherrimum, & voluntati amplectendum quod primo illi pulchro ac bono maximè conſentaneum eſt. Ita fiet, vt ſicut gutta cauat lapidem, non vi,
ſed

ſæpè cadendo ; voluntas etiam ſubigatur ſenſim, atque aſſueſcat ad id ardenter volendum quod initio voluit non niſi lãguido quodam modo. Sic pedetentim perueniemus ad optimum ; & Deus hiſce noſtris conatibus viſis, miſerebitur imbecillitatis noſtræ, & ad ſe *noſtras, etiam rebelles, compellet propitius voluntates. a.*

3 B. Franciſcus de Sales, ſcientiâ ſanctorum plenus Antiſtes, ait eum, qui Deo placere ac proficere velit, debere ſæ-

pius per diem intent
ſiem hanc ſuam reſtau
re. *b.* Sæpè nobis h
incus tundenda eſt:
ferrea voluntas in di
ni amoris ignem con
cienda, vt fabri ferrum
tum cudēdum ictibus
petitis, dum fabrican
fabri fiamus, & à nob
id quod eſt optimum, ſ
difficillimum, impetr
mus, frequentatis hiſc
actibus: Volo, De
meus infinitè bone, vo
lo tui amore, volo
quod optimum eſt,
quod tibi maximope
gratum eſt; licèt mihi
hoc

hoc difficile, ac aliàs nollem.

4 S. Petrus Chryſologus de ijs qui cõtrariâ huic viâ gradiuntur, ſiue qui ſibi ipſis non reſiſtunt, ſed fræna laxant, ſic habet: Eorum, inquit, diabolus, & equitat, & percurrit in verticem: vt qui ad mala ſuo vadunt ſtudio; ad *peiora*, diaboli ducantur impulſu. Sic ille. *c.* Nos verò contra; diuini amoris impulſu ad meliora, imò ad optima ducemur hac praxi voluntatis crebris quotidie actibus ad id quod

nobis

nobis moleſtum, ſed Deo gratiſſimum eſt, inclinandæ.

5 Actus illi frequentati ſunt inſtar ſacræ, ac celeberrimæ illius menſæ quam Iuſtinianus Imperator ex auro, argento, è gemmis varijs, è vario lignorum pretioſiſſimorum genere fabrefieri iuſſit, collatis eò rebus terrâ marique omnium præſtantiſſimis. *d.* Singulæ illę particulæ erant pretioſæ; at vbi in menſam vnam ſunt ſcitè compoſitæ, reddidêre opus laude, admiratione-

que

que digniſſimum. Singuli hi actus voluntatis alij alijs ſunt nobiliores; donec tandem ad vnum velut habitum, ſeu conſuetudinem, veluti menſam ſacram, eamque auguſtiſſimam aſſurgat conatus & labor per frequentatos illos actus voluntatis ſecum decernentis, ac deſtinantis, ſe occaſione proximâ id facturā quod Deo magis placet, etiam cum quantouis ſuo incommodo; ac iam illa conſuetudo ſit nobis veluti ſacra & pretioſiſſima Iuſtiniani mēſa quæ Deo

ſit

ſit gloriæ, ac voluptati; nobis verò incitamento ad id quod eſt optimum, hoc eſt pulcherrimum, Deoque gratiſſimum. *e.* Tunc voluntas eſt veluti thuribulũ illud aureum, quod vidit Ioannes, plenum igne altaris aurei, ſiue tot è cælo carbonibus quot actibus quibus ſe voluntas eò tandem perpulit vt id vellet vnicè ac optaret quod eſt optimum; idque diuini amoris hortatu.

a. Sabb. poſt Dom. 4. quadr. b. Vide Regulas Saleſianas p. 3. c. 6.

§. 3.

§. 3. c. Serm. 105. d. Vide Cedrenum, Cæſium in miner. Cauſinum in Symbolis, & alios paſſim. e. Apocal. 5. 8. & c. 8. 3.

XIX. Die Menſis.

Manè, ac etiam deinde, identidem expendendum, quid Deo magis gratum facere poſſimus in praxi.

1 DE Sancto Ioanne Baptiſta loquens S. Brigittæ Deipara, *A iuuentute*, inquit, *ſeruiuit Deo, offerens ei totum tempus ſuum.* Vt nos quoque

que id agamus, & vt in vſum deducamus exercitationem quam inſtanter & vnicè hîc vrgemus, operæ pretium erit otij aliquid manè ſumere, ac interdiu quoque dum vacat, vel dum aliquod opus aggredimur; quo meditatè rem perpendamus, & conſilium cum Deo ac Sanctis huius virtutis olim ſtudioſis ineamus, Deumque mente ſic ferè alloquamur: Quid magis placet tibi, Deus, in ijs quæ facio? An vt ita pergam, ſicut hactenus; an vt aliquid eorum omit-

omittã, & aliud aliquid tibi magis gratũ agere aggrediar eius loco? Ecquid eſt illud quod omitti, ecquid illud quod eius loco fieri à me velles? Ego enim nec dicere quicquã volo, nec facere, nec animo deſtinare niſi quod tibi magis placet; paratus ſemper id quod dicendum, faciendumue, ſuſcepi deſerere, ac illud arripere quod tibi præ hoc magis placere putauero. *A Domino egreſſus eſt ſermo: non poſſumus extra placitum eius quicquam aliud loqui*, aie-

bant

bant Laban, & Ba
b. Ita tu tecum n
ſtatue circa ea quæ l
vel agere deſtinaſti.
ponde obiectanti ſe
tra ſenſui, vel dæm
vel humano reſpect
Non poſſumus extra
citum eius quicquam
liud.

2 Docet nos l
ante agendum conſ
rationem exemplo
S. Apollonia V. M.
cùm paulisper, quaſi
liberans quid agendu
eſſet, ſtetiſſet; è car
cum manibus elapſa,
cris in ignem ſibi p
tur

tum *maiori Spiritus ſancti flamma intus accenſa*, ſe iniecit. c. Sic tu manè, ac poſtea priùs quàm aliquid agere vel dicere aggrediaris, tecum pauliſper deliberare aſſueſce, atque decernere, te illud dicturum vel facturum idcircò quia Deo magis placere exiſtimas vt id dicas vel facias quàm vt omittas. Id vbi breuiter cogitaſti; tum demum diuini amoris igne incitatus da te holocauſtum Deo, vnà cum opere illo cui accingeris. Etenim hoc ipſum maximoperè

placet Deo quòd *os Domini* interroges, quòd inueſtigatione amoris plenâ diſquirras, & generoſam indolem ad ea præ alijs omnibus eligenda, conuertas quæ Deo, *hîc & nunc*, præ alijs grata eſſe, vel è diuinis oraculis, vel è Patrum lucubrationibus, vel è maiorum placitis, vel ex interno atque à peritis approbato Dei loquentis inſtinctu ad cor tibi dici percipis, paratus exequi ea quæ maximè probat Deus.

3. De his vt meditemur

mur, ſcribamus, legamus, loquamur, placet Deo: è cuius cortina venit illud ſapientiſſimi Regis: *Labia iuſti conſiderant placita. d.* Vbi Pagninus legit: *Labia iuſti ſciunt quod beneplacitum eſt Deo.* Verè os iuſti meditabitur ſapientiam, *e* & *beneplacitum Domino in tali populo ſuo* qui vnicè id meditatur, id à Deo, id ab hominibus quærit quod Deo magis placet.

4 Nam quemadmodum ſi quis machinatione conſceleratâ manè té-

pore præſtituto quotidie, ac ſæpiùs interdiu ſecum diſcuteret, ecquid facere, vel dicere poſſet quod Deo eſſet magis exoſum; idque idcircò facere conſtitueret, ac exequi niteretur, quia Deo inuiſum eſt, paratus deterius quidpiam facere ſi quid ei deterius veniret in mentem; mereretur certè infinitè magnum in inferno ſupplicium: ita ille immortalem quandam apud dilectũ Deum gratiam ineat, & glóriam expectet neceſſe eſt, quiſquis totam mẽtis Deum ſyn-

Digitized by Google

ſyncerâ voluntate quærentis aciem eò defigit ſemel, iterùm, ſæpiùſq; quotidie, vt ea pernoſcat, & animo toto illis agendis incumbat quæ amato vnicè Deo eximiè præ alijs accepta fore didicerit.

5 Hæc ſi manè egeris, conſiliũ S. Gertrudis exequeris monẽtis, *vacandũ eſſe diuino amori* manè, meridie, & veſperi. Et cum eadem dices: Eia ô *amor* Deus, ſummum, & *optimum* bonum meum! *f.* Et cum S. Franciſco quotidie ſic orante: San-

ctiſſime Domine, vellem te diligere! Dulciſſime Domine, vellem te diligere! Summè ſapiens! *ſummum bonum*! g. Hæc eſt vera Philoſophia cœleſtis, querere quod optimum eſt, amore optimi Dei. Etiam Ariſtotele authore, *id eligibilius eſt quod eſt praeminens.* id eſt optimum. *h. Benè conſurgit diluculò qui quærit bona. i.*

6 Ad optimum quàm optimè agendum pertinet vel maximè recta intentio quæ ad hæc ferè capita reduci, & his verbis

bis concipi poteſt. Initio verò menſis, aut hebdomadæ, vel etiam diei meditatè pronuncianda erit. SSS. TRINITAS vnus Deus meus & omnia; credo, ſpero, amo, adoro Te; ac per manus, & omnia merita Crucifixi IESV, MARIAE, Angeli mei, Sancti N. & omnium Seraphinorum, ac electorum tuorum, offero diuinæ, atque infinitè amabili Maieſtati Tuæ, cum profundiſſima cordis humilitate, in ſacrificium laudis, & holocauſtum amoris Tui, meipſum, &

omnes, ac, nullâ omiſsâ, particulatim ſingulas meas cogitationes, verba, opera, reſpirationes huius diei, hebdomadæ, menſis, ac totius vitæ, & mortis meæ

Primò. *In gratulationem* de omnibus bonis quæ habes à Te; & quæ IESVS, MARIA, meus Angelus, ſanctus N. ac omnes omninò electi tui habent à Te; & de omni amore quo amaris ab illis, ac imprimis de illo, quo Tu ipſe infinitè amas Te!

Secundò. *In gratiarum actio-*

Digitized by Google

actionẽ pro incarnatione, Sacramẽtis, ac omnibus donis quę ego indigniſſimus habeo à Te; & quæ Iesvs, Maria, meus Angelus, ſanctus N. ac omnes omninò electi tui, ac omnes creaturæ tuæ, etiam ingratæ, habent à Te!

Tertiò. I*n præparationem* pro felici morte, pro Sacramentis, (vltimis potiſſimùm) ac inſpirationibus, indulgentijs, & omnibus donis quæ habebo à Te!

Quartò. *In deteſtationem, & ſatisfactionem*

Digitized by Google

pro omnibus malis quibus ingratus ego, vel vlla vnquam creatura offendit te. Et vtinam nunquam offendiſſem Te, ſed ſemper odiſſem quod eſt contra Te!

Quintò. *In approbationem* omnium omninò bonorum quibus vnquã, vel ego indigniſſimus ſeruus tuus, vel vlla creatura delectauit, aut delectabit Te! Et vtinam ſemper plus, & plus amemus Te! & faciamus quod magis placet Tibi!

Sextò. *In interceſſionem* pro amicis meis, &

inimicis ; pro omnibus afflictis, pro omnibus in agone vel in tentatione periclitantibus ; pro omnibus viuis, & defunctis; N.N. maximè autem pro ijs pro quibus Tibi magis gratum eſt vt orem Te ! Fac vt omnes, omnes, ac ſinguli ſemper amemus Te !

Septimò. *In adeptionem* omnium indulgentiarum, & virtutis quam quæro in examine particulari : vt ex puro motiuo amoris Tui in hac virtute perſeuerãter vincam me ; & fiam indies magis

gis idoneus ad plus amandum Te! Extirpa ex me quicquid impedit me in amando Te.

Octauò. *In efflagitationem, impetrationem*, & quotidianum *augmentum* veri, ſolidi, æterni amoris Tui: vt inſpirationibus Tuis obediens, ac ſemper ad id quod *tibi* magis placet ſolerter, ſagaciterque attentus, ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota mente mea, & ex toto intellectu meo, & ex tota virtute mea, & ex omnibus viribus meis,

&

& ex tota fortitudine
mea vſque ad mortem
ſemper & vbiq;, magis ac
magis amem Te ſuper
omnia, & ideò doleam
ſuper omnia quòd Te
vnquam vel leuiſſimè offenderim,
Deus meus, &
omnia! Et vtinam hæc
omnia poſſem dicere omni
ardore omnium tibi
placentium voluntatum!

Nonò. Denique offero
tibi me totum quantulus
ſum, & mea omnia,
cum omnibus omninò
ſacrificijs quæ vnquam
tibi placuerunt, aut placebunt;
cum Seraphinis,

&

& omnibus Sanctis tuis; eâ intentione quæ tibi omnium maximè placet; eâ quæ vllo vnquam libro, calamo, corde, aut cogitatione eſt expreſſa, vel exprimenda; eâ quâ operatus eſt IESVS, MARIA, IOSEPH, N. & omnes illi electi Tui qui tibi maximè placuerunt; cum quibus volo, volo, totus volo, & ſupplex peto ſequi Te, ac amare Te in æternũ ſuper omnia, Deus meus; cuius amore his meliora vellem, ſi mihi his meliora occurrerent. Doce me amare Te!

a. Re-

Digitized by Google

a. Reuel.l.4. c 109. b. Gen. 24. num.50 c. Breu. Rom. 9. Febr. d. Prou. 10. 32 e. Pſ.149.4. f. Exercit diuin.amor fol.20. & 25 g.Opuſculorum pag.119. h. Topic.c.1. init. i. Prouerb 11 v 27.

XX. Die Menſis.

Praxis optima, & magni momenti eſt, etiam in minimis id quærere quod Deo magis placet.

1 HAC arte opera aliàs exilia euehũtur ad inſignem quandam magnitudinem, & nobilitatem. Solertis animi, & ſcientiæ ſanctorum nõ ignari eſt res iſta. Vnde B.Fran-

B. Franciſcus de Sales; Hac, inquit, intentione *faciendi id quod Deo placet*, electi Dei perficiebant quotidiana ſua opera, *parua* illa quidem in ſpeciem, verùm quòd illa ex noua ſemper *Deo placendi* ſeruiendiq; puriſſimâ intentione perficerent, externâ illâ ſimplicitate vitæ operumque ſuorum; in maiorem Dei amicitiam fuerunt eleuati, maioraque merita cõſecuti, quàm qui opera multò quidem excellentiora nobilioraque, minori tamen cum charitate,

&

& deuotione, nec ita ſyncera cum intentione, perpetrarunt. Sic aſceta ille ſanctus; qui ait etiam nos in eo Angelos imitari: id vnicè ſpectantes vt *placeant ſoli* Deo. *a.* Ait Soſtratus; oliuam Byzantinam fuiſſe imbre igneo irrigatam, ad fœcunditatem. *b.* Igneus ille diuini amoris imber minima hæc noſtra ita irrigat, vt fœcũditatem illis afferat, & incrementum; adeò vt creſcant, & placeant optimo Deo. Maximus in minimo laudatè dicitur, qui etiam in mi-

minimo quouis negotio minimus non eſt, verùm magnus diligentiâ & accuratione proportionatâ rei quæ agitur.

2 Nobiliſſima, & alto animo imbibenda eſt illa S. Franciſci Xauerij ſententia, quâ monebat, inſtabatque; vt ij etiam qui minima quæque munia obeunt, *impensè, enixèque ea exequerentur; nihilque eo tempore gratius & acceptius Deo ab ſe fieri poſſe crederent.* c. Qui certè ſtimulus à tam ſancto calamo, & peritâ manu veniens momenti plu-

plurimùm habet apud nõ ignauos. Nec video quid maius adduci poſſit ad perſuadendum, vt minima quæque optimo quo poſſumus ſtudio exequamur, quàm quòd id magnoperè placeat optimo Deo noſtro, vt in ijs nulli accurationi deſimus; quippe cùm perſuadere nobis debeamus, ab Apoſtolico illo viro id edocti; *eo tempore nihil Deo gratius, & acceptius fieri poſſe à nobis.*

3 Sic agere eſt gratam rem Deo facere: id quod in rebus optimum

ac

ac maximum eſt; neque altiùs ire poteſt virtus. Manifeſtum eſt, ait Claudius Aquauiua, magnus magiſtrorum inſtructor, non eſſe ea opera parui æſtimãda quæ à non parua charitate proficiſcuntur. Felix anima, & multipliciter felix, quæ ſic *inueſtigat* quæ ſit voluntas Dei, vt *nihil prætermittat, in quo ſe dilecto poſſe gratificari arbitratur*. Sic ille *d*.

4 Sufficit ei qui amat, Deo ita placere vt hoc fiat, ſeu magnum id ſit quod fit, ſeu modicum.

Diſertiſſimus Philo; *Eſt*, inquit, *ſerui laus maxima, nihil ex iuſſis Domini contemnere*, (ſeu modicum ſit ſeu magnum) *ſed impigrè induſtrièque, vel ſupra vires conari cuncta exequi ex illius animi ſententia*. *e.* Occupemus, quà licet, ſummam hanc laudem ſerui; vt è ſeruis optimis, optimos filios ſuos nos faciat optimus Dominus, & Pater noſter Deus.

15 Sic *vel ſupra vires*, at prudenter, conantibus nobis, benedicent omnia opera noſtra, etiã

minima, Domino: & fiét aurea ab amore, velut à puluere philoſophiæ cæleſtis: fient magna, quia fient ex impulſu charitatis, id eſt illius *primi & maximique* mandati, & idcircò, etiã in minimis, in maxima primâque cura habendi. Sicut enim in ijs quæ diuinâ fide credimus parùm intereſt magnum ſit an paruum quod credendum proponitur; attenditur enim ad authoritatem Dei dicentis: ita in ijs quæ agimus ad id attendendum eſt cuius amore agi-

agimus, ſiue exile ſit quod agimus, ſiue magnum. Dignus eſt optimus & maximus Deus, vt etiam parua hæc optimo quo poſſunt modo fiant, quia fiunt amore ipſius.

---

a. In regulis Saleſianis p.3. c.6. §.3. b. Vid. Cauſini Parab. l. 10. cap. 51. c. Turſell. vita l. 6. c. 15. d. Ep. 1. §. 6. e. Libro quis rerum diuinarum hæres ſit. pag. 666. f. Matth. 22. Lucæ 11.

XXI.

XXI. Die Menſis.

Optimum vbique diuini amoris iuſſu, vel inſtinctu, eligere, eſt cæleſtis prudentiæ.

1 PRudentia debet eſſe educatrix optimarum cogitationũ quas concipimus. Prudentia, ſine bonitate, callida aſtutia, cum bonitate cæleſtis perſpicientia eſt. *Eum qui reuera bonus eſt, ac prudens*, inquit adductus à me aliàs philoſophiæ princeps, *a. ſemper pub-*

pulcherrima quæque, atq; optima agere exiſtimamus. Cuius dicti ſplendor in hac praxi maximè eniteſcit.

2 Magnæ omninò prudentiæ eſt ita *finem reſpicere* oculo sãctæ prudentiæ, vt ad finem optimum referas optima media quæ ad illum deducunt. Quare ſi boni ſumus, atque prudentes; amore Dei finis noſtri optimi, pulcherrimi, ac vltimi, agamus ſemper ea quæ ſunt *optima* atque *pulcherrima*; vt fini ſuo reſpondeant. Omnis vir-

Digitized by Google

tus eget rectione prudentiæ. Bonum, aiebat Beatus Franciſcus Saleſius, *bonum prorſus optimum*, perfectiſſimum, conſtantiſſimumq; quod homo poſſidere poſſit, eſt *virtus*. *b*. Prudentis ergo eſt illam vbique ita inuenire vt etiã in illa inueuiat quod optimum eſt. In hac vita, inquit Auguſtinus, virtus non eſt niſi diligere quod diligẽdum eſt. Id eligere *prudentia* eſt. *Quid autem eligamus quod precipuè diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus?* Hoc

Deus

Deus eſt. Ita ille. *c.*

3 Optimus autem ad hunc finem omnia referendi modus eſt, optima optimi Dei amore eligere, in magnis, & minimis. *Prudentia eſt*, vt ait S. Thomas, finem reſpicere; & operari aptè ad finem, etiam in minimis. *d. Prudentia* toto oculo habitat in fine ad quem ſua refert: & hæc eſt ars egregiè operandi, ac in paruis etiam excellendi, vt notat Sanctus Baſilius ita ſcribẽs: Chriſtianus, ſi actiones ſuas omnes ſiue maiores, ſiue minores ad

Digitized by Google

Dei voluntatem direxerit, *ſiuè controuerſia egregiè opus illud perficit*. Ita prudentiſſimus ille optimi inueniendi magiſter. *e.*

4 Ad prudentiam etiam pertinet, non tantùm finem reſpicere, ſed & prouidenter decernere de medijs; ac amoliri totis viribus ea impedimenta quæ ſe nobis in adeptione optimi finis poſſunt obijcere. De medijs ad optimũ perueniendi hîc paſſim egimus, & agemus. Nunc ſupereſt, vt res tuas introſpicias, & conſideres, an, & quid

ſit

ſit in te quod te à nobiliſſimo hoc, & prudentiſſimo agendi, ſeu id quod optimum Deoque acceptiſſimum eſt quærendi modo præpediat: ac omne ſtudium adhibe vt illud à radice ipſa euellas. Vide num reſpectus humanus, num innata quædam ſocordia, num ſolicitudinis, ac ſcrupulorũ, vt vocant, metus, num nimia carnem indulgẽter tractandi facilitas, nũ animus mollior quem tędeat ſe abnegare ſeu ſibi negare ea quæ ſibi concedi petunt ſenſus externi, nũ

fuga illa omnis incōmodi. Singulis perſeueranter euellendis incumbendum. Et hîc arma contra ſingula reperies.

5 Quicquid ergo prudenter adhibere potes operæ, non omitte; amore illius Dei qui & optimus eſt, & infinitè te amat. Placet hîc repetere illud Bernardi: *Amat immenſitas, amat æternitas, amat ſupereminens ſcientiæ charitas, amat Deus! & vicem rependimus cum menſura? Diligam te, Domine, fortitudo mea, meum denique quic-*

quid

quid optabile, atque amabile dici poteſt. Potero verò plus, cùm plus donare dignaberis. e. Ita exarſerat Bernardus, cùm repentè ſubiunxit: *Imperfectum meum viderunt oculi mei.* Nempe oculus prudentiæ proſpicit quid in nobis ſit cur plus non amemus, quid impediat optimum illud quod quęrimus. Ita tu quære vt illud amoliaris: & id quod monebat S. Gregorius Nazianzenus, in animo tuo inſcribe aureo charactere: *Nihil in animum admitte quod cum*

optima vitæ ratione pugnet. Præclaris virtutum dotibus teipſum exorna. g. Atque hæc omnia, vt ad optimum finem per optima media (ſiue opera) peruenias, id eſt, ad Deum, *quem propter ipſum, & propter quem alia volumus.* talem enim finem Ariſtoteles vocat *ſummum bonum, atque optimum.* h. Et hic eſt Deus quem amas.

f a. 1. Moral. Nicom. l. 1. c. 10. b. Vide regulas Saleſianas p. 3. c. 3. c. To. 2. ep. 52. d. 2. 2. q. 54. a. 1. ad 1. e In

re-

regulis fuſiùs diſputatis. e. *T 2. de diligendo Deo fol 166 col.4.* f. *Vide de hoc diem 14.* g. *In ſententijs ad calcem operum pag. 846. & 847.* h. *1. Moral. Nicomach c.2.*

XXII. die Menſis.

Pro hac praxi conſtanter urgenda Chriſtus aſſiduè rogandus eſt; ut nos exemplo ſuo, & auxilio ad hanc optimam eligendi eminentiam erudiat.

1 AD magnam hanc virtutem permagno & exemplo; & adiumen-

mento eſt opus. Vtrumque nobis libenter præſtabit Chriſtus; *ſinè quo nihil poſſumus facere*, & cum quo omnia. Si vlla in re, in hac certè, perſeueranter illum imitari nos decet verbo & opere. A meipſo, inquit ille, facio nihil; ſed ſicut docuit me Pater, *hæc loquor* &c. *quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*. *a.* O verba digna Filio Dei, & corde ad optima (id eſt Deo maximè grata) intento! Hoc eſt optimum omnis optimæ imitationis compendium ſe-

ſecũdùm optimum Chriſti exemplum: hoc eſt magnæ huius artis hoc menſe vel perdiſcendæ, vel inchoãdæ ingenium; vt in verbis & factis particulatim ad id aduertamus, vt à nobiſmetipſis nihil dicamus faciamuſùe ſed ea tantùm quæ illi magis placitura putamus qui optimus finis eſt dictorum noſtrorum omniũ atque factorum. Si reluctetur pigra voluntas; Chriſti auxilio contra illam implorato, eam ad id vnicè volendum perpellamus: vt pro tenui-

tate noſtra, nos quoque Chriſti ope ac exemplo adiuti eò perueniamus vt quilibet de ſe Angelo ſuo Cuſtodi poſſit ex vero dicere: *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.*

2 Quapropter, ſi quãdo te in biuio reperias conſilia ponens in anima tua; vtrum è duobus quæ ſe offerunt ſit agendum; ad illud quod eſt melius te accinge, quia hoc Deo magis placet. Licèt autem id quod præ altero placere magis Deo putas, tibi minùs placeat, quia difficilius; tamen ex

hoc

hoc ipſo duro ſilice ſcintillam diuini amoris elicere viribus totis connitere: vt diuino amore, ac eorum quæ illi magis placent quærendorum deſiderio plenus, cum Chriſto exultante offeras Deo id quod ei magis placet, ac dicas illud Chriſti cũ Chriſto: *b. Etiam, Pater: quoniam ſic placuit ante te*. Licèt enim hoc mihi arduum videatur; quia tamen tibi magis placet, volo me ſuperare vt malim quod mauis. Nam non tantùm id volo facere quod malum non
eſt

eſt, ſed *etiam* id quod bonum eſt; imò *etiam* id quod optimum eſt, quod tibi magis placet; idque ideò, *quoniam ſic placuit ante te*.

3 Si amas Chriſtum, imitaberis. optimum autem, ac maximum erga eum amorem teſtaberis ſi eũ in optimo imiteris. *Feliciſſimum bonum eſt*, vt loquitur S. Auguſtinus, *ſplendidam pulchritudinẽ Chriſti amare, & radiantibus fulgoribus eius pectora noſtra illuſtrare*. Vtinam vel vnicum è ſuo pectore radium in cor no-

noſtrum vibret Chriſtus, in quo videamus quanti momenti ſit illum in hoc aſſiduè imitari, vt ea ſemper quæ *Deo* ſunt *placita* faciamus!

4 Id ſi perſpexerimus; promptam eius opem & flagitabimus ardentiùs, & obtinebimus longè faciliùs. Ingrediamur hoc iter: ipsâ ſui imitatione nos accendet Chriſtus: ſicut S. VVenceslai Ducis niues noctu nudo pede calcantis veſtigia ſecutus ephebus pedes ſuos Ducis veſtigijs imprimẽs frigus omne diſpulit quo vi-

vigebat, ſuauiſſimo calore perfuſus. *d.* Age hodie incipe Chriſtum Ducem in hoc ſequi, ſeu imitari, vt ea quæ Deo *placita ſunt facias ſemper*. Magnum ad ſumma, & optima ingentibus animis conſectanda momentum habere comperies ipſo vſu Chriſti ſupremi Herois, ac Ducis exemplum intentè, ac oculo vt ſic dicam practico conſpexiſſe, conſideraſſe, tibi accommodaſſe. *Heroica conſpectio*, aicbat Iamblichus, *conſimilia habet cum Angelis: illud pro-*

proprium (aduerte, ac pondera) *quòd excitat ad quadam opera generoſa, ac magnifica . e.*

5 Sic Chriſtum imitatione amabimus: ſic ille erit in nobis; & nos in illo, viuido quodam ſpiritu, & aſſiduâ optimi inueſtigatione: *ſic toto poſt Dominum mentis veſtigio incedemus*, vt loquitur S. Ambroſius ; Sic illum toto pectore, imitatrice charitate, hauriemus; vt ſolet mollis cera haurire ſigilli imaginem. Sic ille nos ſeipſo, ſuis virtutibus, diuitijs, ac

ac immortali quadam in cor illiquefactâ voluptate implebit; iuxta illud eiuſdem Ambroſij: *Qui enim domicilio Chriſtum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum. f.*

---

a. Ioan 8. 29. *b.* Lucæ 10. 21. *c. Tom.4.lib. de ſalut. docum c.25. d. Annus cæleſtis* 28. *Sept, e. De myſter. Aegypt. Segm.2. cap.6. f. Brev. Rom. in lect. vigil. S. Matthæi.*

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Die Menſis.

Optimis, ac maximis Chriſti meritis coniuncta noſtræ actiones redduntur longè meliores; & optimæ.

1 SI optimum illud opus quod facere deſtinaſti optimè vis exequi vt maximè placeat Deo; coniunge illud cũ deſiderijs, operibus, vt vocant, theandricis, ac infinito theſauro meritorum Chriſti: nam cum eius meritis coniuncta

no-

noſtra opera fiunt è bonis optima. Ita ipſe S.Mechtildem docuit; *vt homo omnem laborem, & omnia opera ſua*, inquit, *in vnione laborum, & operum meorum faciat: à qua vnione eius opera ita nobilitantur, ac ſi cuprum cum auro liquatum à ſua tranſiens vilitate in aurî nobilitatem penitus mutaretur.*

2 Pulcherrima, & ad rem pręſentem longè accommodatiſſima eſt eiuſdem Sanctæ allocutio quâ Chriſtum interrogauit, *quomodo ſingulis horis ſecun-*

cundùm beneplacitum eius viuere poſſet ; ſiue ſingulis horis id facere quod Chriſto maximoperè placeret. *b.* Pergratum id fuit Chriſto quòd ſic interrogaretur. & reſpondit : *Manè cùm ſurgis, cor tuum mihi offeras*. Poſtea illi hanc iaculatoriam precatiunculam ſuggeſſit: *Pater ſancte, in vnione amoris amantiſſimi Filij tui commendo ſpiritum meum*. Et addidit : *quod verbum etiam ad ſingula opera tua, cùm ea incipis, repetas*. E quibus nobile ac practicum documen-

tum

tũ erue, ſemper id quod optimum factu videbitur ita faciendi ex motiuo amoris Dei, vt mortis tuæ memor illud optimo quo potes modo exequaris, eo nimirùm quo id à te factum voles quando animam ages; atque illud opus vnà cum anima tua & omnibus vitæ tuæ ac mortis occupationibus, infinitè infinito meritorũ Chriſti theſauro coniungas, nobilites, Deoque reddas gratiſſimum; ita tibi optimum pro morte ſolatium paraturus; ſicut Ezechiæ in morbo

Digitized by Google

illo quem ſibi ſupremum fore credebat, illud fuit ſummo ſolidoque ſolatio, quòd fecerit id *quod placitum eſt* coram Deo. *c.*

3 Inter agendum ergò, imò ante agendum, ſubleuanda eſt mens ad Chriſtum qui eſt optimi omnis norma, per quem venit è cælo quicquid eſt optimum; & per illum Deo ſuper omnia dilecto offerendum quicquid egimus, agimus, aut agere deſtinamus. Certè, ipſo Chriſto docente didicit S. Mechtildis, hoc Deo ſummè placere. Do ver-

ba

ba ipſius Chriſti loquentis: *Per me omne quod Deo Patri offertur, in ſumma aſcendit placentia; ſiue, ſummè placens Deo aſcendit. d.* Sic nos id quod optimum, quodque Deo ſummè placens eſt quærentes, operari decet; vt ea quæ agimus ab eo per quē ea offerimus, & cuius diuitijs ea locupletamus, pretium accipiant.

Ita nos ampliſſimis Chriſti meritis, velut veſte pretioſâ, induimus; & viciſſim Chriſtum noſtris operibus veſtimus. Labo-

Digitized by Google

borandum ergò eſt vt o-
pera noſtra ſint optima,
vt Chriſtum veſtibus op-
timis veſtiamus. Audi
Chriſtum eidem Sanctæ
ſuæ diſcipulæ ſic loquen-
tem: Quicunque deſide-
rat vt animâ eius *me ve-
ſtiam*, manè dum ſurgit,
toto corde ad me ſuſpi-
ret, deſiderans vt omnia
illius opera die illâ in il-
lo operer. e. Domine, aie-
bat Iſaias, *omnia opera
noſtra operatus es nobis*. f.
Ipſe Chriſtus operatus eſt
nobis non ſolùm omnia
ſua opera, vt nos redi-
meret, exemploque in-
K ſtrue-

ſtrueret; verùm & noſtra opera omnia ſuis coniũgendo operatur nobis, vt plus pretij habeant; operatur Deo, vt ei ſint magis grata. Hoc eſt *alienis* expenſis diuitem fieri; & adiungendo alienis theſauris aliquid è noſtra egeſtate, illos facere noſtros: hoc eſt cum Chriſto, per Chriſtum, & in Chriſto operari, ac ex Dei amore id agere quod amor cordis boni conſultor optimum eſſe dictat; hoc eſt denique *in corde bono, & optimo* referre fructum centeſimum. *g.*

5 S. Ber-

5 S. Bernardus ait à natura nobis eſſe inſitum *appetere potiora*: & quoſdam *inſatiabili ambitione, magis ac magis, totis viribus conari ad altiora*: *quia nil in eis ſingulariter ſummum reperitur, aut optimum*. Hoc in diuitibus, alijſque oſtendit. *h. Summum & optimum* quo nos locupletes eſſe poſſumus ſunt merita Chriſti, qui eſt diues in omnes; vt ab illo adiuti *abundemus in omne opus bonum*. *i.* Chriſtus eſt via, veritas, & vita. Hac viâ eundum eſt ad optimum. *Altiùs ibũt*

qui ad ſumma nitētur, aiebat Quintilianus: k. hac viâ nitamur *ad ſumma*; & *altiùs* ibimus quàm aliâ quacunq;. Tange Chriſti fimbriã, id eſt opera tua illius meritis coniunge; & munda reddes opera tua, ac pretioſa. Abbas Bloſius ait opera ſic Deo reddi *longè gratiſſima*, & *claritatem dignitatemque ineffabilem recipere ex actibus Chriſti*: ſic *plumbum* noſtrum mutari *in aurum optimum*: & mirificè ſupra humanam æſtimationem reddi Deo Patri accepta, idque S. Ger-

tru-

trudem diuinitùs didiciſſe . *l.*


---

a. Spirit grat. l. 3 c. 13. b. C. 15. 16. c. 4. Regum 20. d. Spirit. grat. l. 4. c. 11. e. Cap. 12. f. Iſaiæ c. 26. v. 12. g Lucæ 8. h. Tom. 2. de dilig. Deo fol. 167. col. 2 i. 2. Cor. 9. k. Lib. 1. Inſtit. orat. l. Conclauis p. 1. cap. 5 pag 562. & p. 2. cap. 3. pag 595.

XXIV. Die Menſis.

Roganda eſt inſtanter Virgo Deipara*, vt nos iuuet ad id quod Deo maximè placere ipſa nouit eligendum, & exequendum.*

Digitized by Google



1 S. Philippus Nerius Beatiſſimam Virginem, cùm alijs, tum hiſce titulis ſalutabat : *O ſanctiſſima, atque optima Virgo! O omnium creaturarum vt optima ita pulcherrima!* Et verè talis eſt : & vult vt opera noſtra ſint *ſanctiſſima, optima, pulcherrima. a.* Talia fuerunt illius opera creſcentia ſemper charitate mirabili, & cumulo meritorum, ex toto conatu, optimo quo id facere potuit modo elicita; id quod explicat latè Sua-

Suarez, vocans eam cum Andrea Cretenſi *omnis ſanctitatis ſanctiſſimum theſaurum*; dicenſque illam elicuiſſe actus perfectos ex *toto conatu*, *atque tota efficacia ſuæ gratiæ*, *&* *charitatis. b.* Iuuabit illa nos quoque vt ſequamur eò quò illa præiuit, exemplo.

2 S. Bonauentura narrat Deiparam S Elizabethæ de cælo ſpectabilem adfuiſſe, ac de ſuis cùm in templo paruula degeret occupationibus diſſerentem, inter alia, hæc dixiſſe: *Statui in corde*

meo habere Deum in Patrem: & deuotè, ac frequenter cogitabam quid poſſem facere Deo gratum: c. Statue tu quoque cum illa in corde tuo habere Deum in Patrem, & illam in Matrem: & indole optimo filio dignâ, exurge ad quærendum, id quod optimo illi tuo Patri maximè placet; quę ſolet eſſe generoſa indoles, & ingenium filiorum volentium ſcire quid Patri placeat, idque vnicè vndequaque inquirentium.

3 Hoc eſt quod adeò

fre-

frequenter ac impenſè quærebat Beatiſſima Virgo, vt nocte mediâ de lectulo ſe ſe ad altare contulerit ſemper, vt refert S. Bonauentura ibidem; & quanto poterat ardore petiuerit à Deo gratiam quâ poſſet *implere dilectionis præceptum*: deſiderans amore proſequi ea quæ Deus amat; odio ea quæ odit. Roga illam vt in nobis quoque excitet deſiderium vt in menſura bona, & coagitata, & ſupereffluente *impleamus præceptum dilectionis*; vt ex illa pleni-

tudine redundet in nos ſtudium id vnicè quærendi quod Deo magis arridet; quod certè perpetuum quoddam diuini amoris in corde inflammato flagranter operantis exercitium eſt, vt oſtendi primo die huius menſis.

4 Exile eſt id quod poſſumus; & *magnum* eſt id quod in optimi adeptione quærimus: at & exilitati noſtræ ſubſidiũ, & *magnum* illud obtinere ac aſſequi poterimus per preces Dei Matris quæ puriarum creatura-

Digitized by Google

rum & maxima, & optima eſt; modò *medium* id quod poſſumus non pigeat nos velle, ac exequi, deſiderio tanti boni. *Nam*, vt apud laudatum Bonauenturam loquitur Virgo Mater, *poſtquam dedimus Deo quæ poſſumus, licèt ſint pauca, ipſe venit in animam, ſecum ferens altiſſima dona.* Altiſſimum Dei donum eſt, altiſſimo & exaggeratiſſimo deſiderio ad ſũma quæque ac optima, ſeu Deo maximè accepta, conniti; nil mediocre ſapere, ſed id quod optimum

mum, quod maximum, quod Deo iucundiſſimum eſt.

5 Illa, eſt optimi, & maximi Dei Mater; Mater illius Filij qui *Filius Altiſſimi* vocatus eſt, & ad quam ille venit *altiſſima dona* ſecum ferens pro illa, & per illam pro nobis; eaque nobis dare paratus, modò illum per eam enixè rogemus, & *modicum* id quod ex parte noſtra poſſumus faciamus. Illud verò in ea ſi imitemur, optimum illi obſequium pręſtiterimus; vt *deuotè*, id eſt addictâ

ad

ad id faciendum voluntate, ac *frequenter* cogitemus, expenſâ totius diei, & occupationum totius anni ſerie, quid poſſimus facere Deo gratum; iuxta vitæ noſtræ ſtatum, ac rationes. Athenienſis vrbs bona filiorum ſuorum educatrix, conſulebat oraculum de *optimo* Reipublicæ ſuæ ac ſuorum ſtatu: *d.* & reſponsũ accepit: Fore beatã Vrbem ſi filiorum ſuorum auribus *quod optimũ eſſet, pretioſiſſimumque appenderet*; nempe optima vitæ ex virtute laudatè de

degendæ documenta. ſed Athenienſes pretioſiſſima quæque monilia filiorum ſuorum auribus appendiſse feruntur. Diuina Mater eſt ſapientiſſima: & vt *optimus* ſit noſtræ animæ ſtatus, vnicè deſiderat filiorum ſuorum auribus & cordibus *optima* quæque cæleſtis vitæ documenta appendi; vt in omni occaſione ad id quod optimum eſt tēdere, adeòque in praxi, *optimi* eſſe diſcant.

---

a. Gallonius in vita. pag. 208.
b. In 3. p tom. 2. q. 37. diſp. 18. ſect. 4.

c. Me-

Digitized by Google

c. *Medit. vitæ Chriſti c. 3. d. Dion, & Cauſinus parab. lib. 12. c. 2.*

XXV. Die Menſis.

Hæc eſt vita Seraphinorum, ut id ames agaſque quod Deo præ aliïs magis placet.

1 ANgelicam illam Virginem Tereſiã Seraphinorum inſtar viuere docuit Chriſtus, & Seraphinus, quando hic Tereſiæ præcordia ignito iaculo tranſuerberauit, & illa dulci *Diuini Amoris* *cuſpi-*

cuſpide in vulnus icta concidit: Chriſtus verò, quando, datâ ei dexterâ dixit; Deinceps, vt vera ſponſa, meum zelabis honorem: ſimulque illi conſilium dedit *efficiēdi ſemper quicquid perfectius*, id eſt Deo gratius, *eſſe intelligeret. a.*

2 Nihil agunt nobilius Seraphini quàm quòd ament, & faciant id quod magis placet Deo. Hac arte in Seraphinum igneſcit cor, incipitque viuere vitam Seraphinorum, quando in ſumma quæq; defigit aciem deſiderij ſui

Deo

Deo ſummè grata omnia eligentis vbique ac exequentis. Hoc Seraphico agendi modo vti, eſt opera ſua imprimere non plumbeis, verùm argenteis, aureis, regijs, cæleſtibus typis, typographo Seraphino amore, auro ignito Apocalyptico in characteres fluente, in officina Spiritus ſancti qui aureos hos charitatis typos *cordibus b.* imprimere ſolet, vt de illo ſcribit S.P.Ignatius.

3 Itaque Seraphinus eſſe contende optima vbique ſectando, ductu

Amo-

Amoris Dei. Nam idem ego tibi de Seraphinis dicam quod de Cherubinis dicit S. Auguſtinus: *c.* Licèt, inquit, intelligamus Cherubin eſſe ſublimes cælorum poteſtates, atq; virtutes; tamen, *ſi vis, eris Cherubin*. Aio ego: *ſi vis, eris Seraphin*, amore ardens, qui eſt ignis quidam actuoſus, & ſemper ſurſum tendens flammâ nobili ad id quod eſt optimum.

4 Redeamus ad paruulum illum Seraphinum qui vultu roſeo & inflãmato pulcherrimus, S. Te-

reſiæ

reſiæ (vt ipſa videns *d.* narrat) cõſpectus eſt longum *ex auro* iaculum geſtans manu, cuius cuſpis *ferro ac igne* armata, & in Tereſiæ cor adacta nõ ſemel vſque ad viſcera penetrabat, aliquâ inde particulâ euulsâ, velut pro ſpolio. Et tum Tereſia dicit ſe relictam totam Diuini Amoris incendio inflammatam, cum dolore acerrimo illo quidem, ſed, ah! longè ſuauiſſimo! Mox addit; *animam ſic accenſam, non eſſe contentam vllà re quæ Deo ſit minor.* Ergò anima

ma illa tendit ad ſummum, ad optimum. En quàm perſeueranter non ad mediocria, ſed ad eximia & ſumma quæque tendat amor diuinus auro, ferro, igne armatus. Verum eſt quòd non ſinè dolore aliquo tendatur ad optimum: ſed aduerte plus auri eſſe in illo iaculo quàm ferri, plus amoris quàm doloris aut moleſtiæ; ſi dolor ille, inſtar ferreę cuſpidis, aureo amoris iaculo ſeu haſtili peritè inſeratur, & ſuauiſſimo charitatis incendio inflammetur. Adiungit

S.Te-

S.Tereſia; ſe *illis* diebus, verè Seraphicis, deſideraſſe, nil videre, nil loqui; ſed tantùm quieſcere in mirabili ſeraphici illius doloris amplexu. Adeò nempe abſorpta in optimo, & ab optimo, ima hæc dedignabatur, tanquam vilia,&Deo minora. *Claudite vos, oculi mei*, aiebat etiam S. Siluanus Abbas: *nil vobis dignum habet mundus. e.* Hæc ille dum ab oratione prodiret, in qua Deũ bonum optimum corde optimo viderat,& guſtârat. Ita in altum ſuos e-

le-

Digitized by Google

leuant, & faciunt euolare igneæ illæ Seraphinorum alæ; vt ad optimum toto volatu tendant: his autem bonis quæ analogè, vt aiunt, aut æquiuocè, bona dicuntur, immortaliter moriantur.

5 Vidit aliquando S. Mechtildis cuidam in lectulo modeſtè pièque iacenti *Seraphinum* cum Angelis plurimis luminaribuſque aſſiſtere: vidit & gloriam de lectuloſurgentis ex motiuo ſiue inſtinctu amoris Dei; atque illum ſurgendi modum nobiliorem eſſe, Deoque magis

magis placere intellexit quàm ſi id fuiſſet factum ex alio quocunque motiuo. *f.* Amant nempe tales, ideòque, tanquam ſocijs ac amicis ſuis, libenter adſunt talibus Seraphini, eoſque illuminant & accendunt, qui diuino amori ſtudent accommodare quæ agunt; vt optima ſemper agendo Deum laudent. Hic eſt pulcherrimus orandi, Deum amandi, & Seraphinorum vitam imitandi modus. *Primaria*, inquit Procopius Græcus Iſaiæ interpres, *primaria Sera-*

ra-

raphinis, & naturalis vita eſt, in Dei pulchritudinem ſemper aciem intendere, eumque perpetuò celebrare. g.

---

a. Breu. Rom. 15. Oct. lect 5. b. Initio Conſtit. c. In pſal. 79. d. Vitæ ſuæ cap. 29. in fine. e. Alph. Rodr. p. 1. tr. 3. c. 14. f. L. 1. Spirit. grat. c. 6. g. In cap. 6 Iſaiæ pag. 100.

XXVI. Die Menſis.

Sancti crebriùs rogandi, ut hanc nobis omnia optimè agendi artem obtineant.

Digitized by Google

1 SI perſpicaci cordis oculo introſpiciamus in cælum, Sanctorum qui iſtic regnãt,& olim optimis quibuſq;modis Deo hîc ſeruire cõniſi ſunt, *exempla*, quod ait D. Gregorius Nyſſenus, aptè propoſita, animi affectionem, & diſpoſitionem intendunt, & ſtabiliunt, *ſpe mentem ad optima quæque ſectanda, & colenda alliciente*. *a*. Vt autem ſicut nos exemplis *ad optima quæque ſectanda* incendunt Sancti; ita etiam precibus iuuent, orandi ſunt, cùm omnes,

tum ij potiſſimùm quibus cordi fuit ſemper *optima quæque ſectari.*

2 Implora ergò, poſt Beatiſſimam Virginem, inter alios Cælites, S. Tereſiam quæ Christi conſilio vſa, mirabile illud de optimo, ſeu de eo quod perfectius eſſe intelligeret, efficiendo votum emiſit, vt heri dixi. Implora S. Gertrudem, quæ diuinitùs intellexit, ſe id quod nos quærimus aſſecutam, quando diſertè illi dixit Deus; *Omnia opera tua mihi perfectiſſimè placent. b.*

3 Im-

3 Implora S. Ignatium Fundatorem, legis igneæ Nomothetam, quæ lex huic ferè compendio illigari poteſt: vt ſingula quæ fiunt, fiant *maius Dei obſequium ſemper intuendo*: non quodlibet, ſed *maius* obſequium; idq; non ad qualemcunque, ſed ad *maiorem* Dei gloriam. *c.* Ora S. Baſilium cum S. Gregorio Nazianzeno, ſic eum iam mortuum alloquente: Tu verò, ſacrum, & diuinum caput; nos cælitus inſpicias: *omnem vitam noſtram ad id quod maximè*

conducibile eſt dirigas.

4 Ora S. Antonium optima in optimis quibuſque exempla imitatum; vt cum illo ęmuleris chariſmata meliora; & heroicos ac excellentiſſimos quoſque actus quos de illo, ac Sanctis alijs legimus, vel audimus. Ora S. Adelardum, à quo idē factitatum ſcribit S. Paſchaſius, *vt ex omnibus vnum colligeret virum perfectum*; ſicut Zeuxis pictor Helenam picturus quinque ſelectæ venuſtatis virgines Crotonienſes delegit; vt è ſingulis in

vnam

Digitized by Google

vnam imaginem imitatione transferret id quod erat optimum, atque lectiſſimum. Vide Bollandum. *e.*

5 Ora Sanctos reliquos quos hîc paſſim laudo, qui non quod facillimum aut iucundiſſimũ, ſed quod optimum eſt elegêre: & ſequere Ariſtotelis conſilium ſuadentis vt inter duo bona, vbi nullam vides alterius ad alterum *praeeminentiam*, illud eligas, *quod magis eligit prudens, vel bonus vir. f.* Elige quod hic, vel ille dilectus tibi Sanctus

vt illorum meritis inclinatus Deus perficiat pedes tuos *tanquam* horum *ſeruorum* ; & *ſuper excelſa ſtatuat* te. *g.* Albertus Magnus ait veteres quoſdam Philoſophos, animæ iuſtæ, vbi hinc migrârit, orbem *ſupremum*, & iucunditatem *permaximam* aſſignaſſe. Animam, inquit, humanam, iuſtitiam colentem, poſt mortem in *orbe ſupremo*, pſalmodiâ, & cantu, & iucunditate *permaxima* recreari ſenſit. Iſaac antiquiſſimus, ſequens Epicureorum, & Heſiodi opinionem.

nem. *b*. Noſtrâ verò fide certum eſt, animam bonum operantis, magnâ in cælo gloriâ, & iucunditate recreandam. Vnde nemo non videt, animam optima operantis, longè maiore quàm cogitare possimus præmio coronandam. Ita coronati ſunt Sancti alij alijs maiore gloriâ quò alij alijs magis placuerunt Deo optimâ operatione. Nos tamen, Dei, non præmij causâ operemur; vt etiã iu hoc puncto cum Sanctis id quod eſt optimum eligamus. Si quod bene-
factum

factum noſtrum eſt, ait S. Ioannes Chryſoſtomus, non gaudeamus propter regna cælorum; ſed *quia rem cælorum Regi gratam fecimus.* i.

---

a. In pſal cap. 2. b. Lib. 4. c. 31. pag. 582. c Summar r. 3. 4 &c. d. Orat. in eius laudem. in fine. e. t. 2. Ian. pag. 99. num 19. & 20. f 3. Topic. cap. 1. g. Pſal. 17. 34. h. Ap. Io. Bapt. Bernardum in Semin. Phil. de anima pag. 46. i. Homil 5. de Anna.

XXVII. Die Menſis.

Dum optimum, ſiue id quod gratiſſimum Deo

eſt quærimus, in Dei voluntate optimè implenda proficimus.

1 HOC ſolum erit iuſtum, ait S. Cyprianus, quicquid *voluerit*, & iuſſerit, & probauerit *Deus cui placere geſtimus. a.* Omnia bona vult Deus; at meliora magis; optima verò maximè. Felix voluntas quæ diuinæ voluntatis, vt ſuæ magiſtræ docilis diſcipula, vt Dominæ obſequẽs ancilla, ſemper in Dei vultu figit mentis promptæ aciem; vt diſcat volun-

luntatem Dei.

2 Duplex in Deo eſt voluntas; altera propriè, altera metaphoricè dicta. Voluntas propriè dicta, vocatur voluntas *beneplaciti*, inquit S. Thomas; voluntas metaphoricè dicta, eſt voluntas *ſigni*; quando præceptum Dei, vel aliud ſignum diuinæ voluntatis, appellatur nomine voluntatis. Ita explicat S. Thomas illud Matthæi. 6. Fiat voluntas tua: id eſt, fiat quod præcepiſti. *b*. Voluntas beneplaciti ſemper impletur; ſigni non item. Om-

Digitized by Google

nis voluntas tua fiet: & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ; nempe volũtati beneplaciti. Voluntati autem ſigni, heu! quàm multi reſiſtunt, suâ libertate abuſi. Vnde, non de beneplaciti, ſed de ſigni voluntate loqui Apoſtolum explicat Cornelius à Lapide dum dicit: Vt probetis quæ ſit *voluntas* Dei bona, beneplacens, & perfecta. *c.* Vult, inquit, Apoſtolus, per gradus ſenſim indies nos proficere, & aſcendere; vt primò, bona; ſecundò, meliora; tertiò, *opti-*

Digitized by Google

optima, Deoque gratiſſima ſapiamus, & operemur. Vt ſciatis quid Deus à nobis velit fieri bonum, & beneplacens, id eſt *melius*; & perfectum, id eſt *optimum, & ſibi gratiſſimum.* Hæc ille interpres. Quare hoc loco S. Ioannes Chryſoſtomus ita legit ea quæ è Paulo adduxi: Vt probetis vos *potiora*, quæ ſit voluntas bona, accepta, & perfecta. Nempe ſtudium verè proficere volentis in implenda voluntate Dei, eſt, amore Dei deligere potiora; vt bonis non

con-

contentus, contendat ad optimum; cùm è recepto, vt dixi, Philoſophi axiomate, *virtus ſit diſpoſitio perfecti ad optimum*.

3 S. Furſeus ita proficientium imaginem de cælo ſibi oſtenſam conſpexit, cùm vidit alatas quaſdam manus quibus diuinitùs portabatur. Aliàs verò & vidit, & audiuit Angelos alis ſonum edentes, ac in hæc verba canentes: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem*. id eſt, alis amoris ſubuecti, manus alaſq; habebunt ad operandum ſublimi quodam

dam

dam modo; ibuntq́, ſiue volabunt, de bono in melius, de meliore in *optimum* ad quod tēdit virtus, impigritate amabili. *d.* Hac arte, non Icari, ſed Angelorum pennas induit anima; vt volet ad nutum Dei. Iamblichus de myſterijs Ægyptiorum loquens, ait *animam pennigeram proficere in Angelicam animam, vitamq́; puriſſimam. e.*

5 Tales Deus abſcondit *in abſcondito faciei ſuæ*, ſiue (vt alius legit) *in oculis faciei* ſuæ, vt habitent in oculis Dei, ſem-

ſemper attentè circumſpecti quò, quà, vel quomodo ire illos velit Deus. Et modò id Deum velle exiſtiment, putant ſe poſſe omnia quæ ille vult: fiuntque indies potentes magis, quia magis amãtes, & ad id quod magis placet Deo, magis expediti. *Vbi humana corda flamma diuinæ charitatis accendit*, inquit S. Petrus Chryſologus, *& humanis ſenſibus amoris Dei tota ſe fudit ebrietas &c. quid debeat, quid poſſit, non reſpicit vis amoris. f.* Nihil deſiderant, niſi

niſi vt faciant *fructus lucis* venientis ex igne diuini amoris, *in omni bonitate*; g. donec in cælo Deus oſtendat nobis *omne bonum*. h. vbi certè omne bonum noſtrum erit amare Deum, & facere cum Angelis *voluntatem eius*.

5 Supereſt, vt nunc ſimus velut in Nouitiatu cæli, Deumque practico modo ita amemus, vt opera noſtra ſint optima, id eſt, *exquiſita in omnes voluntates eius*; vt fiat à nobis voluntas Dei *ſicut* fit in *cælo*. Si verè amamus;

Digitized by Google

mus; hoc deſideramus. Nam, vt optimè S. Chryſologus, *amor parit deſiderium: deſiderium gliſcit in ardorem.* i. Ita vincimus inertias amoris proprii, ac ſegnium cogitationum *ſeuto bonæ voluntatis* diuinæ *coronati*: ita præbemus Deo petenti cor noſtrum, & cum illò promptas ad operandum manus, ac pedes. Verè qui talibus axiomatibus imbutus operatur; eſt veluti ſponſus voluntatis diuinæ, electus, dilectus ex millibus: caput eius *aurum optimum*, *h.*
quia

quia cogitationes ſolidæ, pretioſæ, optimæ, ad *excellentiorem viam* porrectæ. *l.* dicuntque cum Iudith, & faciunt: *Omne quod erit ante oculos Dei bonum & optimum, faciam. m.*

---

a. Lib. de ſingularitate Clericorum pag 306 b. Vide S. Thom. 1. p. q 19. a. 11. c. In c. 12. v 2. ad Romanos. d. Bolland. 16 Ian. e. Segmento 2. c. 1. f. Serm. 147. g. Epheſ. 5. 9. h. Exodi 33. 19. i. S. 147. k. Cant. 5. 10. & 11. l. 1. Cor. 2. 2. Cor. 3. 10 m. Iudith 12. 14.

XXVIII.

XXVIII. Die Menſis.

Vt maximè placeant Deo optima illa quæ agimus, connitendum conſtanter eſt ut optima optimè quàm poſſumus exequamur.

1 S. P. Ignatius Fundator, illuſtriſſimam in cælo coronam repoſitam ait illis, qui *diligentiâ quàm maximâ munera exequuntur. Neque enim ſufficit*, inquit, *opera per ſe bona facere, ſed benè facere. a.* Et uerò qui ma-

magno diuini amoris inſtinctu id vnicè ſpectat, vt id quod Deo magis placet exequatur; facilè intelliget, id etiam ſpectãdum eſſe in modo operis exequendi; vt optima quæq; modo nonniſi optimo, qui Deo eſt gratiſſimus, exequatur: vt etiam *modus tendendi* in optimum ſit optimus.

2 *Volo vos ſapientes eſſe in bono*, aiebat Paulus. *b.* Ille in bono eſt ſapiens qui bona benè, optima optimè conatur peragere. Audi cæleſtem vocẽ laudati aliàs S. Gregorij

gorij Nazianzeni Theologi (quo Magiſtro vſus eſt S.Hieronymus) ſic tibi acclamantis: *c. Optimus eſſe contende. Age, ad vitam cæleſtem vela pande: omnia egregia opera vt Deo dignũ eſt exequere.* Audiſti acroama generoſâ tuâ indole dignum, Lector? Hoc agis quando vt opera tua Deo reddas gratiſſima, & id facis quod optimum eſſe putas, & eo modo facis quem optimum, adeoque Deo gratiſſimum, eſſe intelligis.

3 Imitemur Deum non

Digitized by Google

nõn ſolùm optima faciendo, ſed & optimè faciendo. Deus omnia opera ſua, vt loquitur S. Thomas, *in ſummo bene facit.* *d.* Similiter, pergit Sanctus Theologus, & nos diligentiam apponere debemus, *vt ſingula opera noſtra quantùm vnquam meliùs poſſumus faciamus*, ex omni virtute D. N. Ieſu Chriſti; & cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſiæ; & ſub nomine creatoris: quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & vniuerſitatis vtilitas ex vno

opere

opere dependeat; quaſi nunquam ad id opus reuerſuri, neque opus aliud poſtmodũ incepturi. Hæc omnia Doctor Angelicus nos ad practicam optimè operandi, ſeu Deum imitandi generoſitatem inuitans, atque inſtituens. Enimuerò à Deo, & ad Deum creati ſumus: neq; quicquã agere poſſumus nobilius, id eſt magis dignum Deo, ac nobis. *Nobilitas* enim è ſententia S. Gregorij Nazianzeni, eſt *diuinæ imaginis conſeruatio, ipſiuſque ad ſuum exemplar conformatio, &*

cauſa

Digitized by Google

cauſæ propter quam creati ſumus cognitio. e.

4 Dies optimè operantium eſt inſtar illius calathi à Ieremia viſi ante templum Domini *qui ficus bonas habebat nimis.* Et dixit Ieremias, ſe videre *ficus* : *ficus bonas*; *bonas valdè*. *f.* Ita diem noſtrum in examine veſpertino reperiemus plenum *ficubus* maturis, id eſt, operibus non tantùm *bonis*, ſed *bonis valdè*; ita vt Deo non ſolùm placeant, verùm etiam vt placeant *valdè*, tanquam & benè & valdè benè facta,

ѐta, id eſt omnibus optimi numeris abſoluta. *Videte*, ait Ioſaphat Rex Iuda, *videte quid faciatis. cum diligentia cuncta facite. g.* Deus certè ſibi voluit *præclara, & meliora quæque* offerri. *Omnia quæ offeretis, optima & electa erunt. h.* Sed & optimè ſunt offerenda: ne operis initium ſit optimum, reliqua verò non reſpondeant; ſitque actio tua vt *ſtatua* illa (*i.*) cuius *caput ex auro optimo erat*; reliqua ex argento, ære, ferro, luto: & vno lapide percuſſa eſt, ac pro-

proſtrata. Optimo optimè facto nullus *lapis offenſionis* officiet.

5 Deus eſt charitas. Vbi eſt charitas, ibi dilectio, ibi diligentia. Hinc magna illa magni Tertulliani vox: *Vbi Deus, ibi diligentia attenita, & cura ſolicita*. k. Enimuerò, vt ait idem, *cui dubium ſit; omne bonum (quia ad Deum pertineat) pertinentibus ad Deum totà mente ſectandum?* l. Hoc vt fiat, & iuſtè quod iuſtum eſt, optimè quod optimum eſt, exequamur; intellectus bonus petendus

dus eſt; vt intellectum nobis det, & inſtruat nos in via excellentiore quã deinceps gradiemur. *m.* Nam, vt benè Bernardus, *tanto leuiùs operatur charitatis manus, quanto eam adiuuat illuminatus oculus.* *n.* Cùm ergò *ars ſit artium ars amoris*, *o.* vt ex eodem aliàs dixi; & manus ſit *inſtrumentum inſtrumentorum*; lucida illa amoris diuini ars à Deo eſt flagitanda, quæ vt optimè agamus optima, *in (p) intellectibus manuum ſuarum* erudiat opera noſtra, ſeu manus.

ita

Ita pretioſiſſimos lapillos non niſi optimè elaborari decet.

---

a. Ep 2. de perfect n. 5. b. Rom. 16. 19. c. Ad calcem operum in ſententijs mihi pag. 836. col. 2. d. Opuſc. 62. profeſſu. e. Orat in laudem Gorgoniæ pag 63. f. Ierem. 24. 3. g. 2 Paralip. cap. 19. v. 6. 7. h. Numer. 18. 29. i. Dan. 2. 32. k. De præſcriptionibus c. 43. l. De patientia nu 3. m. Pſal. 31. 8. n. De natura & dignit. diu. amoris cap. 5. o. Ibid. c. 1. p. Pſ 77. 72.

XXIX. Die Menſis.

Feſtis diebus præſertim animus ad quærendum

 id

id quod eſt optimum, excitandus, & inſtaurandus.

1 FEſta mihi videntur eſſe inſtar candidarum illarum turrium quas aiunt ſtructas à S. Helena Imperatrice, è lapide candido per totum iter Conſtantinopoli vſque Hieroſolymam; eaſq; tam frequentes, vt is qui ad earum vnam quampiam ſtabat, alteram inde videret. Nec erat opus duce alio Hieroſolymam iter adornantibus; etiam nocte intempeſtâ: nam tunc

in

Digitized by Google

in turrium apice accendebatur luculenta fax, ſiue ignis qui arderet nocte totâ atque luceret. *a.* Omnes nos in via peregrinos expectat patria; nempe illa cæleſtis vrbs Ieruſalem, Beata pacis viſio, Quæ celſa de viuẽtibus ſaxis ad aſtra tollitur. Feſta per anni curſum ita diſpoſita vt quouis mẽſe vnum alterumue, ac ſæpiùs plura, recurrant, ſunt veluti turres è candido ac viuo exemplorum cæleſtium marmore ædificatæ, collucente in earum vertice

flammâ diuini amoris quę iter monſtret, noſque ad optimam ſemitam tenē-dam ignito illo amoris diuini eloquio cohortetur, ac lumen præbeat *in itineribus æternitatis*; quorum aureum compendiū, & velut meta milliaria, eaque aurea, eſt, ad optimum tendere, ſiue ad id quod Deo magis placet. Aiunt; Perſas exiſtimaſſe, non poſſe maiorem Deo honorem afferri, quā ſi editiſſimâ turri cōſcenſâ, Deum cæli circulum eſſe dicerent. Nos excelſas turres habemus in fe-
ſtis

ſtis Sanctorum: in his diſpiciamus quo ſummi honoris & amoris genere proſequi poſſimus Deum qui ſummus eſt, & æternus.

2 *Animæ feſtum eſt,* inquit doctiſſimus Philo, *animæ feſtum eſt, rerum optimarum æmulatio, & labor ad perfectionem properantium. b.* Reliqua videntur eſſe feſta corporis, ad otium, ad modos muſicos, ad cultum corporis, ferè plus quàm Dei, ad epulas detorta ab amore proprio. Tendere ad optimum, ſeu ad

id quod præſtantiſſimum Deoque gratiſſimum eſt, atque ita *optima æmulari*, ſiue vt Paulus dixit, æmulari *chariſmata meliora*, feſtum eſt animæ; & verè animæ nonniſi beatæ, ſeu ſanctæ. Hoc illi paſcha eſt, ſiue tranſitus à bono ad optimum, adeoque ſolenne feſtum.

3 Nam ſi, S. Ioannis Chryſoſtomi ſententiâ, *maximum feſtum eſt conſcientia bona; & qui viuit in iuſtitia & operibus bonis, etiam abſque feſto feſtum agit; qui verò in peccato degit, etiam cùm*

ma-

maximè feſtum eſt tam feſto caret quàm qui maximè; c. quantum tibi & quale feſtum erit non ſolùm immaculatâ vel ſemper vel à longo iam tempore conſcientiâ gaudere, ſed & conſcium tibi eſſe quòd non tantùm malum nolis quod Deo diſpliceat, verùm etiam inter bona illud quæras intento ſtudio quod ſit melius, imò quod optimum, ſeu quod maximè placeat optimo & amantiſſimo Deo tuo? *Quapropter*, ait Orator aureus ibidem, *licet nobis, ſi ve-*

limus, per ſingulos dies feſtum habere; ſi virtutem exerceamus, & conſcientiam purificemus. c. Si autem non virtutem tãtùm, ſed & id quod in virtute optimum, ac præſtantiſſimum eſt exerceamus; tum verò animæ noſtræ facimus *feſtum primæ claſſis*, vt vocant.

4 Dies feſti otium nobis præbent, ſuntque inuitamento, vt illis diebus lecto diei myſterio, & expenſo; vel, ſi feſtum ſit Sancti cuiſpiam, perlectis eius geſtis, aut pro concione auditis; oculos in

in ea Sanctorum facinora defigamus, quæ in illis fuerunt ſumma, Deoque gratiſſima; exardeſcamus ad ſumma decora virtutis vel myſterio, vel Sancto illi propriæ, ſelectis ijs quæ magis conſpicua sũt ac egregia. Ita S.Ignatius Fundator, *Illos*, inquit, *ſibi quiſque ad imitandum proponat, quos diligẽtià inſignes, & magnanimitate videbit.d.* idquod de magnis in cęlo ac terra exemplis ſeruandum eſt.

5 Hæc feſta, hæc exempla nos excitãt plus

quàm

quàm trophæa Miltiadis. Dicēdum cum Sancto feſti præſentis id quod dixit S. Bernardus: *e.* Hæc eſt animæ meæ aſſidua exercitatio; hinc aſſiduè ſcopo ſpiritum meum: & cum bonis, & amabilibus tuis, quaſi pedibus, & manibus, & totis innitens viribus ſurſum tendo ad te, in te, *ſumme amor, ſummum bonum*. In feſtis laborandum, vt inſtauremur, ne optimi corruptio ſit peſſima: ne mutetur *color optimus. f.* Tunc in Euchariſtia comeditur panis ille pinguis ac dul-

cis

cis, butyrum & mel; vt ſciamus *reprobare malum, & eligere bonum*, imò optimum. *g.*

a. Vide Steph. Binet. de praxi am. Dei cap. 23. *& Drexelium conſid.* 1 *de æternis.* §. 5. *b. Libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ. c. Serm.* 5. *de Anna. d. Epiſt. de perfectione. e. De amore Dei cap.* 2. *f. Thren.* 4. 1. *g. Iſaiæ* 7. 15.

XXX. Die Menſis.

Dum vides quòd pauci quærant seriò quæ Deo placent, hæc ipſa paucitas tibi ſit incitamento ad

ad quærẽdum optimum, ſiue id quod Deo magis placet.

1 REcens Geographus dũ coniecturâ cõſequi laboraret numerum totius generis humani, ſupputatis non indiligenter conïectãdo varijs, hũc ferè numerum inijt omnium in toto terrarum orbe mortalium. In Europa ponit 99. vel quaſi 100. milliones, vt vulgo vocant; ita vt millio vnus contineat decies centena millia. In Africa plus quàm

quàm centum milliones. In America ducentos circiter milliones. In Aſia quingentos circiter milliones. Vniuersè omniũ numerus erit circiter 999, vel ferè mille, millionum. *a.* Iam ſi inter hos decima pars faciat id quod placet Deo; *nouem vbi ſunt*? Pauci ſunt certè, pauci! adeò vt oculo non Geographico ſed diuino *proſpiciens de cælo Dominus* ſuper filios hominũ, tam paucos bonos repererit, vt propè vix vllum. *b.* Vnde Chriſtus S. Tereſiæ, vt ipſa ſcribit, queſtus

ſtus aliquando dixit : *Ah filia ! Pauci ſunt qui me cum veritate amant. Amare cum veritate eſt cognoſcere quòd ſit mendacium, quicquid mihi non placet. c.* E qua Deo placentium paucitate illud menti ſuę fixum hæſiſſe ſcribit Teresia, vt veritas quædam eius menti illuceſcens illã excitârit ad Deum ſingulari quadam, ac *nouà reuerentià* proſequendum. Ita nos per ſanctâ quadã antiperiſtaſi decet exardeſcere eò magis quò pauciores ſunt qui ad ea extẽdũt cogitationes ſuas

vt

vt id agant quod Deo magis placet.

2 Hoc eſt ingenium amoris erga Deum, eò magis velle quò alij minùs volunt quærere quæ Deo magis placent. S. Berachus Abbas orans, è magno niuium aceruo, magnam flammã elicuit, quæ niues illas cõbuſſit. S. Patritio orante ignis erupit è glacie, velut è viuo carbone. *d.* Ita is qui Deum verè amat ex ipſis frigidis inſtar niuium, duris inſtar glaciei mortalium Deo tam parcè ac frigidè ſeruientium cordibus

dibus nouit cæleſtes maioris erga Deum amoris flammas elicere quibus accendatur ad Deum eò flagrantiùs amandum, & quærendum quod ei magis placet, quò id à paucioribus fieri videt, ac dolet.

3 Sic egêre pauci illi qui cum Dauide remāſerant fideles. Hi enim cùm vox vndique perſonaret: *e.* Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon; eò magis exarsêre ad amandum, & colendum Regem quò *erant* pauciores; & dixêre: Om-

nia

nia quæcunque præcepe-
rit Dominus noſter, libē-
ter exequemur ſerui tui.
Elias quoque cùm tam
pauci eſſent veri Dei cul-
tores, vt ipſe vnicum ſe
videret inter 450 Prophe-
tas Baal, eò magis exar-
ſit ad ſacrificandum Deo;
& cecidit ignis Domini, & voràuit holocauſtum. f.

4. S.P. Ignatius Fun-
dator cùm ſcribit, nobis
ad noſtrum finem *infra-
ctis animis* enitendum eſ-
ſe; ad id argumentum
ſumit etiam paucitatem
eorum qui id ſeriò agant.
Videte, ait, quantulus
honor

honor diuinæ maieſtati habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præſtetur. *Tanta illorum eſt paucitas, qui* ſanguine Chriſti *ad ſalutem vtantur!* Addit deinde: Atque ita locutus ſum, *vt vos excitarem; & ad eorum qui parùm feſtinant, tarditatem, curſus pernicitatem adiungerem.* 3. Eapropter vt boni & alacres te accendunt ad optima quæque, altiſſima, & quæ Deo gratiſſima ſunt ſectanda; ita eorum paucitas te ad idem inſtiget: vt ſis nobile ſupplemen-
tum

rum eorum quæ ab alijs omittuntur. Sic in te quoque verum erit id quod ſcribit S. Bonauentura: *Sapiens plerumque per alterius ſtultitiam fit eruditior. h.*

5 Vade ergò, & diſce habitare ſub zona torrida diuini amoris cum Ignatio, cum Bernardo: & tunc tibi Deum diligenti omnia cooperabuntur in bonum. Vbi multos videris Diuinæ volũtati exquirendæ ac eius placitis exequendis addictos, accendêre ad imitatricem induſtriam, & illo

illo velut multitudinis torrẽte abripière in oceanum amoris Dei ad optima ſemper intenti: vbi autem paucos tales conſpexeris; ibi quoque, pulcherrimâ diuini amoris antiperiſtaſi inflammabere ad optimum tanto maiore contentione quærendũ quanto pauciores habet ſectatores; voluntatibus alienâ optimi ſpecie malè illuſis: diceſque cum S. Bernardo: *Nonne ſi conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies ſeculi, & labores omnium hominum*

qui

Digitized by Google

qui fuerunt, qui ſunt, & qui erunt; nihil eſſet ad comparationem illius? i. Si omnes vitæ, omnes omnium labores nihil sũt ad id quoddebemusDeo; ergò tanto magis expergiſcendum tãdem eſt nobis, vt eò magis quæramus id agere quod illi maximè placet, quò pauciores id faciunt; vt intenſiuè, quod aiunt, fiat, quod extenſiuè non fit.

---

a. Ricciolus ad calcem lib. 12. de Geographia in Appendice. pag 632. & 634. b. Pſal. 13 c. Cap. 40 vitæ ſuæ. d. Io. Colganus in SS Hibern.

15. Febr. pag. 342. Vitæ ſeptimæ c. 7. c. 2. Regum 15. f. 3. Reg. 18. 22. g. Ep. de perfect. num 6. & 8. h. In prologo ſex alarum Seraph. i. Serm. de quadruplici debito.

XXXI. Die Menſis.

Praxis optimum vbique, ſeu id quod Deo gratiſſimum eſt agendi, anxia, vel præceps eſſe non debet.

1 DVO ſunt quæ timeo in hac praxi: alterum eſt, falſum diſcretionis, vt vocant, nomen; alterum, anxietas animi omnia etiam tuta ti-

timentis, & ſemper attoniti ac trepidi. Amo diſcretionem illam quæ à S. Bernardo dicitur *non tam virtus, quàm quædã moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuũ, & morum doctrix*: a. ſed ne ſub huius nomine lateãt ignauæ quædam noſtræ inertiæ, meritò eſt cauendum: & Patris ſpiritualis iudicio fidendum: vt *diſcretionis locum* (quod ſuadet idem Bernardus) *ſuppleat virtus obediẽtiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum ſit fiat*. b.

Aliàs nihil, aut perparùm agere, vocabitur diſcretio, veluti ſal virtutum. At certè Diuinus Amor ipſe condimentum eſt virtutum omnium: ne ſi nimiâ diſcretione veluti ſale plus æquo vtaris, cibos corrumpas, atque omnem ingenuæ nobilioriſque virtutis fœcunditatem fertilitatemque extinguas ſterilitate ignauâ. *Certè legimus*, ait Hieronymus, *vrbes quaſdam irâ victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur. c.*

2 Aduertendum tamen

men prudenter eſt etiam ad ſecundum quod metuebam periculum. Nam licèt falſum diſcretionis nomen imponere nobis illudereque non debeat, ne pigrâ quadam non curãtiâ degeneremus à præcelſis cogitationibus filiorũ Dei; tamen neq; præcipites debemus eſſe, nec anxij: ne *optimi corruptio* ſit *peſſima*, quod prouerbio dicitur. Soliciti quidam metus, ac æſtus animi laborantis, & apud alios virtutem ſuſpectam, ac velut odio reddũt obnoxiam; & in nobis per-

Digitized by Google

ſæpè ſunt anteceſſores lā-guoris breuì ſecuturi; niſi trāquillo animo res agatur, citra perturbationem vllam, & implicationem. Age: nodum illum Gordium hac cogitatione, velut acie gladij, amputemus. Quæris id quod eſt optimum, ſeu Deo gratiſſimum. At veró hoc ipſum tibi perſuadere debes; Deo magis eſſe acceptum, vt animo recto, candido, exporrecto, non autem anxiè timido, ac vbiq; tanquam ſpinis obſito & circumſepto opereris. Idcircò delibera-

tio

tio an hoc an illud magis placeat Deo inſtituenda eſt tempore opportuno; ita vt cùm agendi occaſio ſeſe obtulerit, promptus, paratè iam ad agendum prodeas, tanquam re antea meditatè perpēsâ. Si tamen aliquid ex inopinato eueniret quod antea non expēdiſſes, nec otium ſupereſſet conſultationem longiorem inſtituendi; cape conſilium in arena, & extemporali erga Deum fiduciâ plenus, confide optimè te acturum ſi hoc agas quod hîc & nunc putas Deo eſ-

ſe gratius; cum illa, vt aliàs monui, animi præparatione, vt ſi reſciſcas Deo aliud magis probari quàm quod elegiſti, id ſis facturus occaſione aliàs ſe daturâ: nunc te expedire conſilium, quòd hoc ipſum ita Deus magis probet, vt bonâ fide, ſine perplexis moris agas. Quare ſic etiã agendo facis quod Deo magis placet; non facturus rẽ Deo gratam, ſi mente diu ſuſpensâ tempus tereres, ac morâ illâ occaſionem nobiliùs agendi corrumperes. Ita fiet vt citra ſcrupulos

pulos

pulos agas id quod Deo magis placet. Poſtea tamen (vbi otij ſatis habueris) in examine, vel cum P. Spirituali conferre licebit, quænam pars eligenda ſit in ſimili occaſione; an illa quam elegiſti, Deo illam magis placere exiſtimans; an alia, quæ Deo fortè magis placeat, ob cauſam quampiam quę tibi in mentem non venit cùm iam operi immineres.

3 Idem eſt conſilium B. Franciſci Saleſij. *d*. Cæterùm vſus te docebit methodum expeditam,

vt

vt in eo curras ac voles in quo alius quiſpiam hæc parùm expertus vix mouere ſe poteſt quin hæreat dubius ac ſuſpenſus inſtar illius arietis quem Abraham *vidit inter vepres hærentem. e.* Vbi leges, vel maiores iubent, dubitari non debet illud eſſe optimum Deoque gratiſſimum præ alijs; & id faciendo nos optimos fore. Nam & Ariſtoteli, *qui legibus ſemper obtemperarunt, ij optimi videntur. f.*

4 At dices; Te minorem eſſe quàm vt ad

hæc

Digitized by Google

hæc ſublimia enitaris. Reſpondeo: In infimo illo in quo es gradu enitere ad optimum, *optimus eſſe contende*: & Auguſtinum audi ſic dicentem: *Maximæ res, cùm à paruis quæruntur, magnos eos ſolent efficere. g.* Neque hîc alio myſterio eſt opus quàm optimâ voluntate in optimum ſemper intentâ; & oratione quâ inſtãter ſupplex petas à Deo, vt impletaris *agnitione voluntatis Dei in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali: vt ambules dignè Deo per omnia placens. h.* Hoc eſt ſtu-

ſtudere in volumine cordis Dei; vt interdiu ſæpiùs oculos cordis referas in praxi ad diuinam illam paginam cordis Dei, vt quod ibi legis hoc facias, quia Deo ita placet magis quàm ſi quiduis aliud ageres hîc & nunc.

5 Hæc omnia quæ dixi aureo compendio cõplectitur in hæc verba S. Mechtildis: *i. Cordis Dei ſtudioſus ſit homo, conſiderando attentiùs quid ei maximè complaceat.*

a. Serm.

a. Serm.49. in Cant. b In circumciſ.ſerm.3. in fine. c. Breu.Rom. die S.Hieron.lect.7. d. p.2. de amore Dei l.2. cap.14. e. Gen.22.13. f. 1 Rhet.c.8. g. Tom.1 lib.1. contra Academicos, c.2. in fine. h. Coloſſ 1. 9. i. Epiſt 3.fol.146.pag.2.

Ad Maiorem Dei, Deiparæ Virg. ac Sanctorum omnium gloriam; & ſanctum vltimi agonis noſtri ſolatium.

1'001'680

IN-

INDEX.

AMor Dei magiſter optimi eligendi. pag, 1.57.
Anima pennigera. 255.
Animæ feſtum. 273.
Anxiè non agendum. 294
Ars placendi Deo. 33
Aſceticæ artis compendium. 67.
Aſſueſce te vincere. 246.
Auribus optima danda. 229.
Cæleſtis gloria magiſtra optimi. pag. 82.
Chriſtus magiſter optimi. 201.
Chriſti meritis iunge tua. 211.
Conſilium Dei Matris. 227.
Cordis Dei ſtudioſus. 300.
Dei præſentis memoria. 137.
Diligentia. 267.
Diſce optimus eſſe à peſſimis. 101. 109. 279
Diſcretio falſa. 292.
Examen particulare. 40.
Feſta. 270.
Gratiſſima Deo opera. 212.
Intentionis rectę compendium. pag. 175. 217. 249.

Li-

INDEX.

Liberaliter ſeruiendum Deo. 119.
MARIA Magiſtra optimi. 222
Matutina praxis. 165.
Minima ſanctè curanda. 183.
Nobilis animus in agendo. 92.
Nouitiatus cæli. 257.
Obedientia 298.
Occupationes amoris Dei. 224.
Optima optimè agenda. 260.
Oratio magiſtra optimi. 128.
Plumbum in aurum verte. 220.
Pretioſiſſima opera. 49.61.
Prædeſtinatorum vita. 73.
Prudentia cæleſtis. 192.290.
Sacrificium operum. 42.
Sancti iuuant ad optimum. 240.
Seraphinorum vita. 231.240.
S. Tereſia. 231.
Timor Dei optimus. 11.
Veſtes Chriſti. 217.
Virtutes amore Dei quærendæ. pag. 21.
Voluntatis actus frequentandi. pag. 156.

A. M. D. G.

Digitized by Google

Accingere, quæſo te, accingere. Nihil in te mediocre eſſe contentus ſum: totum ſummum, totum perfectum deſidero. S. Hieron. ep. 13. ad Paulinum de inſtitutione. in fine.

Digitized by Google